34. *Ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑ[β]δόμῃ μ[ου ε]ὐθὺς ἐνφυλίους ζβέσ[ας πολέμ]ους [κα]τὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολειτῶν ἐνκ[ρατ]ὴς γενομενος πάντων τῶν πραγμάτων, ἐκ τῆς ἐμῆς [ἐξ]ουσίας εἰς τὴν τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων μετήνεγκα κυριήαν· [ἐξ] ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου Σεβαστὸς προ[σηγορεύθη]ν, καὶ δάφναις δημοσίᾳ τὰ πρόπυ[λά μου ἐστέφθη,] ὅ τε δρύινος στέφανος ὁ διδόμενος* P. XVIII, *ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολειτῶν ὑπερά[ν]ω τοῦ πυλῶνος τῆς ἐμῆς οἰκίας ἀνετέθη, ὅπ[λ]ον τε χρυσοῦν ἐν τῷ βο[υλ]ευτηρίῳ ἀνατε[θὲ]ν ὑπό τε τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥω[μ]αίων διὰ τῆς ἐπιγραφῆς ἀρετὴν καὶ ἐπιείκειαν καὶ [δι]καιοσύνην καὶ εὐσέβειαν ἐμοὶ μαρτυρεῖ· [εἶτ'] ἀξιώμ[α]τι πάντων διήνε[γ]κα, ἐξουσίας δὲ οὐδέν τι πλεῖον ἔσχον τῶν συναρξάντων μοι.*

35. *Τρισκαιδεκάτην ὑπατείαν ἄγοντός μου ἥ τε σύνκλητος καὶ τὸ ἱππικὸν τάγμα ὅ τε σύμπας δῆμος τῶν Ῥωμαίων προσηγόρευσέ με πατέρα πατρίδος, καὶ τοῦτο ἐπὶ τοῦ προπύλου τῆς οἰκίας μου καὶ ἐν τῷ βουλευτηρίῳ καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ Σεβαστῇ ὑπὸ τῷ ἅρματι, ὅ μοι δόγματι συνκλήτου ἀνετέθη, ἐπιγραφῆναι ἐψηφίσα-*

. XVII, 1 *Μόσχων] Ἀλβανῶν.*
4 *Μαροβόδουος] καὶ Σουήβων πλείονες.*
5 *Ὠρώδους υἱοὺς υἱωνούς τε] Ὠρώδου τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ἐκγόνους τε.*
17 *μου εὐθὺς] πολέμους.*
18 *πολέμους] μετ' αὐτούς.*
22 *κυριήαν] κυρείαν.*
XVIII, 6 *εἶτ'] μεθ' ἃ.*

P. VI, 27 sub quadr[*igi*]s, quae mihi [*ex*] S. C. pos[*itae sunt*, *censuit. Cu scri*]psi hae

28 annum age[*b*]am septuagens[*imum sextum.*]

app. C. 1. 29 Summa pecun[*i*]ae, quam dedit [*in aerarium vel plebei Roman vel di*]mi

30 sis militibus denarium se[*x*]ie[*ns milliens.*]

app. C. 2. 31 Opera fecit nova, aedem Marti[*s*, *Jovis Tonantis et Feretri*, *Apo linis*

32 divi Juli, Quirini, Minervae, [*Junonis Reginae*, *Jovis Libertatis*,]

33 Larum, Deum Penatium, Juv[*entutis*, *Matris deum*, *Lupercal*, *pu vina*

34 ad circum, curiam cum Ch[*alcidico*, *forum Augustum*, *basilic*]a[*m*

35 Juliam, theatrum Marcelli [*ad aedem Apollinis*, *nemus quod c trans T*]iberi

36 Caesarum. /

app. C. 3. 37 Refecit Capito[*lium sacra*]sque aedes [*nu*]m[*ero octoginta*] du th[*eat*]rum Po

38 pei, aqu[*arum ductus*, *vi*]am Flami[*niam.*]

app. C. 4. 39 Impensae [*factae in spect*]acu[*la ludosque et munera*] gladiat rum at[*h*

40 [*letasque et venationes et naum*]ach[*iam*, *ite*]m dona [*munici*]pi[*is colon*

41 [*in Italia*, *oppidis in provinciis ter*]rae motu incendiove consu

42 ptis aut [*viritim amicis senat*]oribusque, quorum census explevit,

43 in[*nu*]mer[*abilia.*]

P. VI, 35 ad aedem Apollinis] *om.*
39 impensae factae in spectacula ludosque] impensarum in spectacula circensia.
40 item dona municipis] . . . dona . . . oppidis.
41 incendiove] incendioque.

P. XVIII, το. Ὅτε ἔγραφον ταῦτα, ἦγον ἔτος ἑβδομηκοστὸν
ἕκτον.
p. C. 1. Συνκεφαλαίωσις ἠριθμημένου χρήματος εἰς τὸ αἰρά-
ριον ἢ εἰς τὸν δῆμον τῶν Ῥ[ωμαίω]ν ἢ εἰς τοὺς ἀπολε-
λυμένους στρατιώτας ἓξ μυριάδες μυριάδων.
p. C. 2. Ἔργα καινὰ ἐγένετο ὑπ' α[ὐ]τοῦ ναοὶ μὲν Ἄρεως, Διὸς
βροντησίου καὶ τροπαιοφόρου, Πανός, Ἀπόλλω-
νος, θεοῦ Ἰουλίου, Κυρείνου, Ἀ[θη]νᾶς, Ἥρας βασιλί-
δος, Διὸς Ἐλευθερίου, ἡρώ[ων, θεῶν π]ατρίων, Νε-
ότητος, Μητρὸς θεῶν, [βουλευτήριον] σὺν Χαλκι-
P. XIX, δικῷ, ἀγορὰ Σεβαστή, θέατρον Μαρκέλλ[ου, βασι-]
λικ[ὴ] Ἰουλία, ἄλσος Καισάρων, στοαὶ ἐν Παλ[ατίῳ,]
p. C. 3. στοὰ ἐν ἱπποδρόμῳ Φλαμινίῳ. Ἐπεσκε[υ]άσθ[η τὸ Κα-]
πιτώλιον, ναοὶ ὀγδοήκοντα δύο, θέ[ατρ]ον Πο[μ-]
pp. C. 4. πηΐου, ὁδὸς Φλαμινία, ἀγωγοὶ ὑδάτων. [Δαπ]άνα[ι]
εἰς θέας καὶ μονομάχους καὶ ἀθλητὰ[ς καὶ] ναυμα-
χίαν καὶ θηρομαχίαν, δωρεαί τ[ε] ἀποικίαις, πόλεσιν
ἐν Ἰταλίᾳ, πόλεσιν ἐν ἐπαρχεί[αι]ς σεισμῷ καὶ ἐνπυ-
ρισμοῖς πεπονηκυίαις, ἢ κατ' ἄνδρα φίλοις κ[αὶ] συν-
κλητικοῖς, ὧν τὰς τειμήσεις προσεξεπλήρωσεν, ἄ-
πειρον τὸ πλῆθος.

P. XIX, 7 δωρεαί τε] δωρεαὶ ταῖς.

Continentur hoc libello:

---

1) P. 5, not. 3 titulum Lesbium, quem Conzius descripsit, ineditum esse existimabam, sed video nunc jam Boeckhium in addendis C. I. Gr. II, n. 2167 d posteriorem tituli partem ex Kieperti schedis edidisse; Kieperti testimonio firmatur lectio *ΙΟΥΔΙΑ*, sed Boeckhius quoque *ΔΙΟΥΙΑ* scribendum esse suspicatus est.

PROLEGOMENA.

Imperator Augustus anno urbis 766 mense Aprili ante annum et quattuor menses, quam decederet, apud virgines Vestales testamentum deposuit, partim sua ipsius, partim Polybii et Hilarionis libertorum manu scriptum [1]. Defuncto imperatore virgines praeter testamentum protulerunt tria volumina pariter in Vestae aede servata; uno volumine Augustus, ut Suetonius (Aug. 101) dicit, *mandata de funere suo* complexus erat; altero *indicem rerum a se gestarum*, *quem vellet incidi in aeneis tabulis*, *quae ante Mausoleum statuerentur*; tertio *breviarium totius imperii*, *quantum militum sub signis ubique esset*, *quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum residuis: adjecit et libertorum servorumque nomina*, *a quibus ratio exigi posset* [2]. Hos libellos Augustus supremo vitae tempore composuit; index certe, quem solum non oblitteratum esse merito laetamur, confectus est post testamentum (quorsum spectat quod legitur in indice IV, 16: *si*

---

1) Sueton. Aug. 101. Polybium defuncto Augusto testamentum in senatu recitasse auctor est Dio C. LVI, 32.

2) Eadem narrat Dio C. LVI, 33, non Suetonium secutus, ut Mommsenus p. 3 dicit, sed alium quem auctorem, qui plura de his voluminibus memoriae prodiderat, fortasse Aufidium Bassum. Sed quod Dio quattuor fuisse libros quartoque volumine principem consilia de republica administranda dicit complexum esse, errat, deceptus, ut videtur latini scriptoris, quem adhibuit, oratione non satis plana: haec enim consilia subjecta fuerunt breviario imperii, ut Tacitus Ann. I, 11 ostendit: *proferri libellum recitarique jussit: opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes regna provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones; quae cuncta sua manu descripserat Augustus, addideratque consilium coercendi intra terminos imperii.* Dio, qui quarti, quem dicit, libelli argumentum accuratius exponit, hoc ipsum consilium novissimo loco recenset: *γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε, τοῖς τε παροῦσιν ἀρεσθῆναι, καὶ μηδαμῶς ἐπὶ πλεῖον τὴν ἀρχὴν ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι· δυσφύλακτόν τε γὰρ αὐτὴν ἔσεσθαι, καὶ κινδυνεύσειν ἐκ τούτου καὶ τὰ ὄντα ἀπολέσαι,* jure admonens Augustum haec prudenter et serio praecepisse, cum Tacitus, qui hominum sensa in pejorem partem interpretari solet, addiderit: *incertum metu an per invidiam.* Illud praeterea animadversione dignum, cum consiliis, quae Augustum dedisse Dio auctor est, prorsus congruere, quod Tiberius apud Tacitum senatores dehortatur, *ne in civitate tot inlustribus viris subnixa ad unum omnia deferrent, plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos.*

1*

vivus non perfecissem, perfici ab heredibus meis jussi) aestate a. 767, antequam princeps in Campaniam profectus est: nam non solum lustrum tertium conditum (verno tempore a. 767 [1]) commemorat, sed etiam tribuniciae potestatis vice tricesima septima sibi delatae mentionem facit, quam auspicatus est die 27 mensis Junii ejusdem anni, cf. quae Mommsenus p. 3 exposuit. Quod Suetonius addit, Augustum voluisse hunc indicem incidi in tabulis aheneis et publice proponi [2]), scriptum fuit haud dubie in volumine, quod mandata de funere continebat, itaque iste libellus post indicem compositus esse censendus est [3]).

Mommsenus cum recte animadvertisset, in indicis cap. XV paenultimam liberalitatem non satis commodo loco enumerari, siquidem urbanarum donationum ordo hac veteranorum donatione interpellatur, suspicatus est, Augustum hunc indicem jam a. 750 composuisse, ac postea sub vitae finem continuavisse; quae conjectura si vera esset, omnes res post a. 750 gestae, quae hic commemorantur, secundis curis forent additae. At si quis singillatim haec examinaverit, eam conjecturam minime verisimilem esse intelliget: [4]) nusquam enim alibi additamentorum vestigia deprehenduntur, quae vel summa diligentia adhibita aegre poterant devitari. Equidem credo Augustum, cum dictaret haec [5]), octavae liberalitatis in praesentia oblitum, sed continuo memorem addidisse, hoc autem additamentum non suo loco insertum esse; nam turbatum esse hunc locum monui in adnotatione ad cap. XV. Qui postea indicem ediderunt, aut non animadverterunt errorem, aut religione obstricti non sunt ausi quidquam immutare; ita hic error etiam in Ancyrano exemplo propagatus est.

Hujus indicis tam latinum exemplum quam graeca interpretatio hodieque extat Ancyrae Galatiae urbe; graecae metaphrasis reliquiae praeterea Apolloniae, Pisidiae civitate, repertae sunt; in utraque enim civitate hic index in aede Augusti publico consilio propositus fuit. Etenim Graeci Asiotae primi divinos honores Augusto impertiverunt, quamquam jam antea, ut videtur, Romanorum poetarum adsentatio inanibus certe verbis magnifica de-

---

1) Mommsenus p. 3 hoc lustrum die 11 mensis Maii conditum esse dicit, sed hoc incertum; nam Suet. Aug. 97 non dicit Augusti statuam eo ipso die fulmine ictam esse, quo lustrum fecerit, sed *sub idem tempus;* neque dies 11 m. Maji, qui fuit nefastus, quoniam eo die Lemuria celebrabantur, videtur aptus lustro condendo. Illo igitur die videtur statua principis fulmine icta esse, lustro jam antea peracto.

2) Mausoleum, prope quod illae tabulae collocatae sunt, Augustus jam a. 726 aedificavit (Suet. Aug. 100.)

3) Minus recte Mommsenus p. V existimat Augustum hoc in testamento heredibus suis mandavisse.

4) Quod assensus est Brambachius (Mus. Rhen. XX, 605), sobriis hominibus haudquaquam commendaverit Mommseni suspicionem.

5) Breviarium princeps sua manu scripsit, ut Tacitus Ann. I, 11 testificatur, quoniam eo imperii arcana continebantur; indicem hunc senem aetate gravem liberto dictavisse consentaneum est.

lubra principis numini dedicavit [1]). Augustus, cum a. 725 Julio Caesari et urbi Romae Ephesi et Nicaeae templa dedicari concessisset, tum Pergamenis et Nicomediensibus permisit, ut sibi et Romae fana sisterent [2]). Ac verisimile est Pergamenos haud cunctanter promissis satisfecisse; nam quod *Σεβαστεῖον* vocari solet [3]), inde haud quaquam efficitur, delubrum anno demum 727 vel postea dedicatum esse; sed videntur primum aram tantum principi consecravisse, templum postea additum esse fidem faciunt nummi anni 735/6 [4]). Nam ex Dionis verbis: *καὶ ἔλαβον καὶ οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν,* quamquam ludos a. 725 instauratos esse verisimile fit, eodem anno etiam aedem exstructam esse nequaquam conficiendum [5]). Ita etiam Tarracone vivo principi ara fuit dedicata (Quintil. VI, 3, 77), sed mortuo demum Augusto a. 768 templum aedificatum (Tac. Ann. I, 78), quod postea refecit Hadrianus (Spartian. vit. Hadr. 12, adde etiam vit. Sev. 2 [6]).

---

1) Virgilius certe Georg. III prooemio v. 13 non solum templum principis honori se dedicaturum esse minatur: *et viridi in campo templum de marmore ponam propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat Mincius et tenera praetexit arundine ripas: in medio mihi Caesar erit templumque tenebit*, sed idem poeta etiam ludos magnificos se edere velle addit, quae scripta sunt a. 724/5. Nam si quis existimet Asianorum adulationem, cui princeps initio a. 725 indulsit, poetae haec scribenti obversatam esse, splendidus hic pannus, quem Virgilius attexuit, magis etiam ineptus modestoque homine plane indignus videatur necesse est.

2) Dio C. LI, 20. Pergamenos hunc honorem Augusto decrevisse etiam Tac. Ann. IV, 37 testatur.

3) De Pergameno templo Telephus Grammaticus peculiarem librum conscripsit, ut Suidas auctor est: *περὶ τοῦ ἐν Περγάμῳ Σεβαστείου* (vulgo *Σεβαστίου*) *βιβλία β'*. Imperatorum enim epistolae, civitatium decreta, alia id genus in eo delubro asservabantur, quod praeter Josephum Ant. XVI, 6, 2 testantur tituli C. I. Gr. III, 3902, b et Lesbius a Conzio editus (Iter Lesb. tab. VII, qui quidem titulus ante Octaviae mortem i. e. ante a. 743 incisus est, nam *ΙΟΥΛΙΑ* manifestus est error pro *ΛΙΟΥΙΑ*). Haec igitur rerum publicarum instrumenta, praeterea artis monumenta, quibus templum magnificum exornatum fuisse verisimile est, satis amplam Telepho suppeditabant materiam. Ceterum delubra Actii, Brundusii, Tarracone, Ma(ssiliae) et Antiochiae, quae titulus Lesbius memorat, haud dubie et ipsa Augusti honori fuerunt destinata.

4) Nummi caput Augusti, cui adscriptum est IMP. IX TR. POT. V, in altera parte COM. ASIAE et templum, in quo scriptum est ROM. ET AVG. exhibent, hoc est illud ipsum Pergamenorum templum, quod Cohen (num. imp. I, 46) sex, Vaillant (II, 35) quattuor esse columnarum dicit. In Claudii nummo, qui eadem verba COM. ASI. et ROM. ET. AVG. exhibet, templum distylum conspicitur (Cohen I, 157. Vaill. II, 60), eademque templi est species in consimilibus Nervae et Traiani nummis (Vaill. II, 117. 123.)

5) Illud memorabile in titulo, qui Eumeniae in Phrygia extat (C. I. Gr. III, 3902, b.) Pergamenum fanum *Σεβαστοῦ τέμενος* et ludos ibi celebratos *Ῥωμαῖα Σεβαστὰ* dici, ceterarum Asiae provinciae civitatum delubra et agones *Καισαρήων* nomine insigniri.

6) De ara et templo Tarraconensium disputavit Hübnerus in Herma I, 110 seq. Atque aliae quoque civitates ara contentae fuerunt, velut Lugdunenses, Narbonenses, Ubii: nam aram Ubiorum Augusti numini dedicatam fuisse satis docet *sacerdotium hominum,*

Hoc Pergamenorum et Nicomediensium exemplo cum adulatio magi magisque glisceret, certatim non solum per provincias, sed etiam in ips Italia [1]) aras vel templa Augusto et Romae consecraverunt, venia fani si stendi ab imperatore impetrata [2]); quamquam nonnullae civitates promiss non steterunt, velut Tiberius Cyzicenis libertatem ademit, quod Augus templum inchoatum dereliquerunt [3]). Videtur autem princeps haec suo cul tui destinata delubra vel ipse vel per pontificem dedicavisse, certe Tiberi hunc morem religiose observavit [4]). Item plurimae civitates ludos quinquennales in Augusti honorem instituerunt [5]).

Augusto vita defuncto etiam in ipsa urbe haec adulatio non amplius coercita: nam quamdiu vixit princeps pertinacissime hunc honorem deprecatus erat [6]). Ac senatus quidem Romanus templi honorem decrevit, sed

---

quod invidiose dixit Tacit. Ann. I, 59, quem locum homines docti frustra conjecturis tentaverunt.

1) In Italia praecipue coloniae vel a Caesare vel ab Augusto deductae videntur principem hoc honore ornavisse, velut apud Fanenses in Umbria Augusti aedem commemorat Vitruv. V, 1, 7, quam aedem ante Octaviae mortem (a. 743) factam esse consentaneum est; item Pisis fuit Augusteum, quod tituli a. 755 et 757 (Orelli I, 624) testificantur, ubi etiam flamen Augustalis memoratur. Adde huc titulum Praenestinum (Orelli 3874) et Pompejanos (Mommsen I. R. Neap. 2231 seq.).

2) Tacit. Ann. IV. 37.

3) Dio C. LVII. 24: *ὅτι καὶ τὸ ἡρῷον, ὃ τῷ Αὐγούστῳ ποιεῖν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν.* adde Tac. Ann. IV, 36. Haec et talia exempla respicere videtur Dio LVI, 46 dicens, etiam invitis civitatibus extructa esse delubra: *καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι τὰ μὲν ἑκόντων τῶν δήμων, τὰ δὲ καὶ ἀκόντων οἰκοδομουμένων.*

4) Dio C. LVII, 10: *τὰ τε ἀγάλματα καὶ τὰ ἡρῷα αὐτοῦ καὶ ὅσα οἱ δῆμοι καὶ ὅσα οἱ ἰδιῶται ἐποίουν, τὰ μὲν αὐτὸς καθιέρου, τὰ δὲ τῶν ποντιφίκων τινὶ προσέτασσεν.*

5) Suet. Aug. 60: *Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales oppidatim constituerunt.* velut Herodes rex Caesareae (Joseph. Ant. XVI, 3, 1. B. Iud. I, 21, 8.) Constituti sunt hi ludi ad exemplum certaminis gymnici et musici, quod ipse Augustus Nicopoli instituit (cf. Friedlaender Sittengesch. II, 304 seq.) itaque ipsi Romani ludos quinquennales ad exemplum Actiacae religionis decretos (Tac. Ann. XV, 23) Actiacos solebant appellare. Neque vero ad hos provinciales ludos pertinet Caligulae edictum, de quo Suet. Cal. 23 rettulit: *ac non contentus hac Augusti insectatione Actiacas Siculasque victorias ut funestas P. R. et calamitosas vetuit solennibus feriis celebrari;* sed Caligula abrogavit ferias urbanas d. 2 et 3. m. Sept. celebratas, cf. Dio C. LIX, 20. Hoc Caligulae decretum videtur Claudius abrogavisse, nam in fastis Amitern. d. 2 Sept. notam N (haud dubie ex errore pro NP), dies 3 NP ostentat. Sed quod Mommsenus ibi victoriae Actiacae mentionem deprehendit, fallitur; litterae residuae TI ad diem 1 Sept. pertinent, ac fuit scriptum *Feriae Jovi (tonan)ti.*

6) Suet. Aug. 52, ex quo loco quoniam Italicarum urbium non fit mentio, nonnulli confecerunt, Augustum in nulla Italiae civitate hunc honorem recepisse, quos falli docent exempla Fani et Pisarum supra allata; neque quidquam probat alius Suet. locus c. 59. Dionis autem verba LI, 20: *ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ᾽ ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι*, omnino de imperatorum honoribus divinis accipienda sunt, neque Dio asserit nusquam in Italia vivis principibus aras aut templa esse dedicata.

Livia et Tiberius sua ut videtur impensa aedificandum susceperunt: opus imperfectum Caligula demum absolvit et dedicavit [1]): nam Suetonio et Cassio Dioni major habenda fides, quam Tacito [2]), qui perfecisse Tiberium, sed sive ambitionis contemtu sive per senectutem templi dedicationem intermisisse auctor est. Hoc delubrum incendio Neroniano absumptum [3]) Domitianum restituisse argumento sunt tabulae honestae missionis, quae Domitiano imperante et postea factae sunt; ibi enim saepius legimus fixam esse tabulam *in muro post templum divi Augusti ad Minervam*, unde etiam de loco, quo templum conditum fuit, conjecturam capere licet [4]). Item Nolae domus, in qua supremum diem Augustus obiit, templo cessit, quod ipse Tiberius dedicavit [5]).

Neque provincialium studia refrigescebant; primis ut videtur Hispanis a. 768 petentibus ut Tarracone Augusto templum exstrueretur permissum, *dutumque* ut Tacitus (Ann. I, 79) auctor est *in omnes provincias exemplum* [6]). Ita etiam Ancyrani post Augusti demum mortem a Tiberio imperatore impetraverunt, ut liceret Augusteum (*Σεβαστεῖον*) exstruere et praeterea ludos solemnes celebrare, id quod verissime Mommsenus p. VI contendit [7]); et ejusdem aetatis fuit Apolloniensium aedes, ut reliquiae tituli, qui templi de-

---

1) Locos adscripsit Bekker Ant. Rom. I. 430, qui quidem non recte sacellum a Livia consecratum a Tiberii opere distinguendum esse censet, cui opinioni prorsus adversatur Dio C. LVI, 46.

2) Tac. Ann. VI, 54.

3) Plinius H. N. XII, 94.

4) Cf. Preller Regionen p. 150. Situm templi etiam Sueton. Cal. 22 indicat.

5) Sueton. Tib. 40. Dio C. XLVI, 46.

6) Hinc Nicol. Damasc. in ipso exordio vitae Octaviani, quam continuo post principis exitum composuit (fr. 99, 1): *ναοῖς τε καὶ θυσίαις γεραίρουσιν, ἀνά τε νήσους καὶ ἠπείρους διῃρημένοι καὶ κατὰ πόλεις καὶ ἔθνη, τό τε μέγεθος αὐτοῦ τῆς ἀρετῆς καὶ τὴν εἰς σφᾶς εὐεργεσίαν ἀμειβόμενοι.* Aurel. Vict. Caes. 1: *uti Deo Romae provinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes et collegia sacravere.*

7) Franzius in editione mon. Ancyrani, quam Zumptio operis socio ascito curavit, p. 4 censet a. 763 hoc templum dedicatum esse, levissimo usus argumento, quod refutare nihil attinet. Sane si Scaliger verum assecutus esset, qui in Augusti epistola apud Josephum Ant. XVI, 6, 2 *ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀργύρῃ* plerisque probantibus *ἐν Ἀγκύρῃ* scripsit, eorum sententia, qui Ancyranum templum ad ipsius Augusti aetatem referunt, haud levi momento sustentaretur; at conjecturam omnino rejiciendam esse, apparet. Namque Ancyra Galatiae, non Asiae provinciae civitas fuit, ac praeterea *ἐν Ἀγκύρᾳ* Graeci sermonis lex flagitat; nam quod in titulo C. I. Gr. 4039, 44 traditum est *ἐν Ἀγκύρῃ* vitiosum, alii lapides et nummi constanter *Ἄγκυρα* et *Ἀγκύρας*. Recte Chishullus illa verba ad Pergamenorum Augusteum rettulit, sed quod *ἐν Περγάμῳ* restituendum censet, a veritatis specie prorsus abhorret; corrigas potius *ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ ν ε μ η θ έ ν τ ι μοι ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν π α ν η γ ύ ρ ε ι.* nam *γενηθέντι* quod vulgo legitur, quamvis plebeja haec forma hoc saeculo satis trita fuerit hic importunum. Ceterum et illius epistolae et reliquorum decretorum, quae homo Judaeus adscripsit, fides quae sit, satis incertum (quam quaestionem cum non liceat paucis absolvere, in praesentia missam facio), neque tamen hoc argumento abutendum ad Scaligeri conjecturam commendandam.

dicationem exhibet, etiamnunc plane testificantur. Commode utraque civitas indicem rerum ab Augusto gestarum in delubris, quae imperatoris honori ac memoriae consecraverunt, incidendum curavere; neque tamen Gallograeci aut Pisidae primi hoc venerationis exemplum repererunt, sed post alios veniam tituli hujus iterandi impetravere, ut infra demonstrabimus: quare non vanam spem concipere licet, fore ut aliquando postera aetas etiam aliis in locis indicis reliquias ex situ et tenebris in lucem proferat.

Quod Augustus, cum principum P. R. virorum statuas in foro Augusto dedicaret eosdemque titulis et elogiis ornaret, professus est [1]), se id commentum esse, ut ad illorum velut exemplar insequentium aetatum principes a civibus exigerentur, idem consilium videtur etiam secutus esse, cum heredibus hunc rerum a se gestarum indicem publice proponendum mandavit. Qui commentarius cum in clarissima luce esset collocatus, haud dubie etiam litterarum auxilio posteritati propagatus est, quandoquidem ne testamenti quidem memoria penitus oblitterata [2]); licuit igitur rerum Romanarum scriptoribus hoc insigni monumento uti. Ac Suetonius quidem, homo singulari industria insignis, ut acta populi et senatus Caesarumque epistolas perscrutatus est, ita etiam hunc indicem nequaquam neglexit, sed in Augusti vita conscribenda diligentissime adhibuit, passim iisdem usus verbis, quibus Augustus res memoriae prodidit, atque semel [3]) aperte auctorem testificatus. Praeter Suetonium solus Vellejus Paterculus uno alterove loco hunc commentarium videtur respexisse. Ex graecis scriptoribus Nicolaum Damascenum, Augusto aetate supparem, in principis defuncti vita hoc rerum gestarum indice usum esse verisimile est, quamquam unum tantum locum deprehendimus ad indicis exemplum conformatum [4]). Cassius Dio non

1) Sueton. Aug. 31. De his elogiis conferas quae Mommsenus adnotavit ad C. I. L. vol. I, 281 seq.

2) Testamenti principium adscripsit Suet. Tib. 23, quamvis fortasse aliquis suspicetur Suetonium inspexisse eo tempore, quo ipsi aditus ad imperatorum secreta litterarum monumenta patebat. Grammaticos usos esse ex Charisio 104 non satis tuto colligas, nam ibi revocanda codicis Neapolitani lectio *Augusta in testamento*, quam princeps editor proclivi conjectura immutavisse videtur. Sane Tiberius Liviae testamentum pro irrito habuit ac suppressit (Suet. Tib. 51), sed Caligula postea legata ex Augustae testamento persolvit (Suet. Calig. 16. cf. etiam Tac. Ann. V. 1); hoc igitur tempore Augustae testamentum publici juris factum esse consentaneum est, neque mariti testamentum cur delituisse censeamus quidquam causae est.

3) Suet. Aug. 43.

4) Nicol. Dam. c. 1, ubi dicit Augustum et Graecorum et barbarorum gentes non solum armis subegisse, verum etiam animos eorum humanitate singulari ad obsequium redegisse, *ἔπεισεν ἑαυτοῦ ἀκροᾶσθαι, ὧν δὴ πρότερον οὐδὲ ὀνόματα ἠπίσταντο οἱ ἄνθρωποι, οὐδέ τινος ὑπήκοοι ἐγένοντο διὰ μνήμης, ἡμερωσάμενος, ὁπόσοι ἐντὸς Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν,* deinceps enumerans, quae breviarii auctor maxima ex parte praetermisit: haec enim in memoriam revocant quae leguntur in indice V, 44 seq., quemadmodum Sueton. Aug. 21 eundem respiciens locum scripsit: *qua virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam.* Sed citeriores haec et alia id genus a prioribus mutuan-

inspexit, quamquam satis commode eo uti poterat in oratione funebri, quam Tiberium pro rostris in Augusti memoriam recitavisse finxit [1]), in qua oratione si nonulla cum indice conveniunt, fortuitum esse hunc consensum consentaneum est [2]).

Augusti libellus tripartitus est, rerum, quarum memoriam posteritati praecipue tradere volebat, dilectu prudenter habito. Primum recenset omnis generis honores, quos pro meritis in rem publicam deinceps adeptus est (cap. 1—14); deinde ut liberalitatem illustraret, quam per varias occasiones frequenter exhibuit, enumerat quas impensas in rem publicam fecerit (cap. 15—24); denique tertio loco res domi forisque a se gestas carptim perstringit (cap. 25—35).

Inscriptionem tituli non esse ab ipso Augusto profectam neque Mausoleo convenire manifestum est: neque tamen pilae aheneae videntur plane ejusmodi additamento caruisse, fuit ibi opinor scriptum *index rerum a divo Augusto gestarum*, vel quoniam verisimile est fuisse additum, ipsius imperatoris esse hunc recensum, quemadmodum Suetonius appellat, *divi Augusti index rerum a se gestarum.* Quae nunc praemissa legimus, Tiberii adornavit scriba aliquis, qui hujus tituli exemplum provincialibus suppeditavit: studuit ille argumentum et plenius et magnificentius enarrare, neque tamen id quod propositum fuit satis est consecutus, nam cum Augusti commentarius sit tripartitus, scriba duas tantum partes indicavit, et quod dicit Augustum orbem terrarum imperio populi Romani subjecisse, ab imperatoris simplicitate abhorret: denique non satis elegans oratio *rerum gestarum et impensarum incisarum exemplar*, nam oportebat scribi: *indicis rerum gestarum et impensarum incisi exemplar*, sed hoc cum molestum videretur, maluit ista breviloquentia uti [3]).

Item summarium (VI, 29—43) titulo novissimo ab aliena manu additum esse apparet: supervacanea haec iteratio, dilectus rerum incommodus, oratio minus elegans [4]), velut ex vulgi consuetudine *theatrum Pompeji* dicitur,

---

tur, velut Eutropius VII, 5: *Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt.*

1) Dio C. LVI, 35—41.

2) Velut quae apud Dionem c. 40 de operibus publicis vel refectis vel novis factis leguntur componere possis cum indicis cap. 19—21. Quod Tiberius apud Dionem c. 38 dicit se nolle res ab Augusto bellis et civilibus et exteris gestas singillatim orando persequi, *καὶ γάρ που πολλαχῇ αὐτὰ καὶ γεγραμμένα καὶ τετυπωμένα καὶ ὁρᾶν καὶ ἀναγινώσκειν δύνασθε*, pertinet ad Augusti statuas aliaque artis monumenta publica, quibus elogia et rerum gestarum indices additi fuerunt, vid. Horat. C. IV, 14, 4 et Vellej. II, 39: *divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentis, quarum titulis forum ejus praenitet.*

3) Ita vulgo *incisi* dicuntur, quorum nomina incisa sunt, ut est apud Plin. Paneg. 26 de iis qui ut congiarium acciperent, in tabulas referri cupiebant: *omnes tamen antequam te viderent adirentve, recipi, incidi jussisti;* item Seneca de tabulis frumentariae plebis de Benefic. IV, 28: *frumentum publicum . . . accipiunt sine delectu morum, quisquis incisus est.*

4) Etiam Fronto p. 82 ed. Berol. Augustum censet latinae linguae etiamtum integro lepore praeditum fuisse, quamquam dicendi ubertatem in eo desiderat.

quod in ipso indice *Pompejum* vocatur, item *naumachia*, quam Augustus Graecum vocabulum aversatus *navale spectaculum* dixit. Neque vero is, qui haec scripsit, Augusti personam induit, sed ut par erat, tertia ubique persona utitur. Idem scriba, qui inscriptionem praemisit, etiam hanc clausulam videtur adjecisse; denariaria, non sestertiaria ratione utitur, quoniam Graecis hominibus hoc exemplum fuit destinatum. Unde Mommsenus minus recte suspicatur, Graecum aliquem magistratum hanc appendicem subjecisse: at a Romano homine haec profecta esse argumento est, quod legimus VI 42 Augustum plurima dona dedisse amicis senatoribusque, quorum census expleverit; hoc ipsum enim de suo addidit pariter atque id, quod antecedit, oppidis provincialibus terrae motu incendiove consumtis subvenisse: nam neutrius liberalitatis Augustus in indice mentionem fecit.

Latini tituli species videtur prorsus ad archetypi similitudinem conformata: nam quem ad modum in templi Ancyrani vestibuli utraque parte per ternas paginas index discriptus est, ita opinor in Mausolei utraque pila frontem et bina latera occupaverat: sin tabulas aheneas fuisse credere malueris, credibile est, ad eundem modum tripartitum fuisse titulum. Quod si inscriptionem et clausulam removeris, etiam versuum numerus in utraque parte tituli propemodum exaequatur [1]: nam extant in

priori partis		alterius partis	
pag. I	versus 46	pag. I (IV)	versus 54
pag. II	versus 46	pag. II (V)	versus 54
pag. III	versus 42	pag. III (VI)	versus 28
	versus 134.		versus 136.

Qui Augusti indicem in Graecum sermonem vertit, fuit haud dubie imperatori ab epistolis graecis [2]), homo Graecus; nam Graecae linguae satis est gnarus, Latinam orationem passim perperam interpretatus est. Mommsenus sane existimat, metaphrastae orationem non satis Graecam esse. Attici sermonis elegantiam isto saeculo nisi fastidiosus non desideraverit, sed proprietatem Graecae linguae omnino deprehendimus: si in alieni operis interpretatione nonnulla a Graeca consuetudine recedere videntur, non est mirum: in supplementis autem Mommseni vel Kirchhoffii si passim male Graeca reperiuntur, metaphrasta non est culpandus.

Tam Latinum exemplum quam Graecam interpretationem non in Ancyranorum usum adornata esse argumento est ipsa inscriptio: nam neque latina verba *exemplar subjectum*, neque metaphrasis multo planior *μεθηρμηνευμέναι ὑπεγράφησαν πράξεις* ullo pacto conveniunt iis locis, quos uterque titulus in aede Ancyrana obtinet. Quadrant haec verba opinor in basim, in qua Romae et Augusti simulacra collocata fuerunt. Ancyrani autem postea petiverunt apographa utriusque tituli vel a Tiberio imperatore

---

1) Litterarum numerus in singulis versibus latini exempli variat, sed circiter sexagena elementa plerique versus exhibent. Graeci exempli Ancyrani etiam major inaequalitas, vid. infra p. 15 adnot.

2) De his scribis exposuit Friedlaenderus Sittengesch. Roms I, p. 145 seq. ed. 1.

vel ab Asiana civitate, cui haec exempla a principio destinata fuere, iidemque vicissim Graecam interpretationem communicaverunt cum Apolloniensibus. Ancyrani titulum latinum in aedis parietibus incidendum mandaverunt homini opinor Romano, nam prorsus urbanae inscriptionis speciem refert, seduloque cavit opifex ab erroribus, nisi quod leviora quaedam admisit peccata, velut IV, 22 AEDE pro *aedem* (quod ipsum Chish. et Mordtm. exhibent,) IV, 31 QVINQVENS (si revera hoc extat in lapide, nam alia apographa QVINQVIENS exhibent), IV, 46 DVCENTI (ubi DVCENTOS scribendum erat), et V, 11 PROVICIA(/) i. e. *provincias*. Graviores nonulli errores altius repetendi videntur, quos si opifex fideliter propagavit, culpae immunis est. Capitulorum distinctionem, quam eandem etiam Graeca metaphrasis exhibet, si a clausula discesseris, jam in archetypo fuisse consentaneum est [1]). Virgulis additis orationis incisa plerumque separata sunt, qua quidem in re opifex haud dubie item apographum secutus est, quamquam uno alterove loco minus recte hac nota usus. Denique scribendi ratio, quamvis ut fieri solet non plane sibi constet, cum communi illius saeculi consuetudine congruit, ac satis superque opificis fidem et diligentiam prodit; sed de monumenti orthographia quae exposuit Mommsenus p. 145 seq. singillatim repetere nolo, satis habeo notabilia quaedam paucis perstringere.

Ita in vocibus, quae cadunt in IMUS, constanter I, non V scribitur, vetere consuetudine per Caesarem abrogata [2]); item *reciperare*, quemadmodum etiam in edicto Venafrano legitur (Orelli III. 6428 bis sub finem) et *manibiae*, quod Caesari quoque probatum est, atque ita Munatius Plancus in titulo (Inscr. Neap. 4089) [3]): commendavitque Verrius Flaccus (ap. Charis. p. 97.)

---

1) Capitula sunt XXXV, vel si clausulam addideris XXXIX, nisi quod c. XVIII admodum incerta est divisio, sed nolui numerum Mommseni auctoritate receptum immutare.

2) Cf. Quint. I, 7, 21: *jam optimus maximus, ut mediam I litteram, quae veteribus V fuerat, acciperant Gai primum Caesaris inscriptione traditur factum*, ubi ineptam lectionem *inscriptione* nimis patienter tulerunt editores, restituendum ex cod. Ambros. *instructione* sive *institutione* malis, h. e. auctoritate et praeceptis; nam in libris de analogia videtur ea de re exposuisse. Idem testificatur orthographus apud Mar. Victor. I, 4, 5, sed locus variis vitiis contaminatus in hunc modum corrigendus: *Licinius Calvus Q. littera non est usus, consultum senati idem* (v. ipse) *scripsit, at Cajus Caesar* (v. et ad Cajum Caesarem) *senatus consultum; idem optimus maximus scripsit, non ut vos* (v. nos) *per V litteram:* hic enim inprimis eruditus et prudens grammaticus, qui non est infra saeculum II detrudendus, non solet antiquitatem sectari, et ipse infra (I, 4, 18) talia per I scribenda esse docet, sed discipuli ejus veterem consuetudinem affectabant. Etiam quae de Augusto addit emendatione egere videntur: *Divus Augustus genitivo casu hujus domos meae per O non ut nos per V litteram scripsit; idem, Messala, Agrippa, Brutus pro sumus, simus.* adjeci *idem*, nam Augustum *domos* et *simus* scribere solitum esse auctor est Sueton. Aug. 87.

3) Sane adversari videtur Velius Longus p. 2228 haec de Augusti consuetudine tradens: *antiquis varie scriptitatum est mancupium, aucupium, manubiae, siquidem C. Caesar per I scripsit, ut apparet ex titulis ipsius, at Augustus I per V, ut testes sunt ejus inscriptiones.* De novissimo tantum vocabulo disserere orthographum docent quae

Idem vero Augustus in indice antiquitatis ut videtur tenax *consacrare* scripsit, improbatum orthographo Marii Victorini [1]. Illud notabile *Charydes* scribi, consortes haud dubie Harudum, quos Caesar inter Ariovisti copias recenset; ut possis suspicari etiam VI, 2 fuisse [*Sygambr*]*orum*, quemadmodum est in titulo Orell. III, 6704 COH. I. SYGAMBR [2]. Ex more hujus saeculi *triumphus* scriptum, quemadmodum est in Lege Iulia municipali et in elogiis, testaturque Cicero in Or. 48 se adolescentem quidem *triumpos* enuntiare solitum majorum more, postea vero populi consuetudini obtemperavisse, neque neglecta est aspiratio in titulo sub finem saec. VII incisi (C. In. L. I, 605), ut mittam titulum Mummianum (ib. 541). Apicis pauca exempla suppeditat index, quamquam verisimile est, alia describentium aciem fugisse; observata autem fere est lex non ponendos esse apices, nisi quando diversa vocabula vel diversae ejusdem vocabuli formae separandae sunt [3], velut II, 38 *áram* (ne confundatur cum *ăra* sive *hăra*), II, 40 *magistratús*, V, 14 *sólis*; etiam *Gádibus* V, 11 rationem habet, quoniam peregrinum nomen [4]:

subsequuntur, neque *aucupio* in publicis monumentis erat locus. Neque vero Augustum per LVI annos easdem scribendi leges per omnia secutum esse, verisimile est: potuit ille prioribus annis *manubias* scribere, postea Caesari obtemperare; hujus inconstantiae exempla Augusti tituli passim suppeditant, velut in Venafrano scribitur *rivom*, in indice *rivum, vivus*, sed *vacuus* et *annuus* utrique titulo communia. Item in indice est *reciperare*, sed in nummo ap. Cohen num. imp. I, 51. n. 84: CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PART. RECVP. Ac fortasse Velius hanc ipsam inconstantiam notavit, nam quod legitur apud Putschium non habet rationem, dicendum enim erat *per V et I* i. e. *manVbIae*, sed puto grammaticum scripsisse *per I et per V*. Denique hoc addo, in elogio Marii (C. In. L. I. p. 290) *de manubiis* legi, quod videtur inconstantiam istam aperte testificari: verum quamvis hic titulus videatur ad exemplum elogii Augusti temporibus facti expressus esse, tamen neque urbanus est, neque apographum omni ex parte fidele extat. Orthographus Marii Vict. I, 4, 18 *manibias* videtur commendare, nam inepta sunt exempla *manibus, pretium* quae ibi afferuntur, videtur *manibiae, manipretium* corrigendum.

1) Mar. Vict. I, 4, 14, qui quod nonnullos *secratum* scribere dicit, rusticana videtur consuetudo fuisse. *Consecravit* scriptum in Romuli elogio Pompejano (C. In. L. I, p. 283), quod haud dubie ex urbano titulo expressum est; sed *consacratus* est in titulo ap. O. Jahn Spic. Epigr. p. 27. n. 26.

2) Non recte Luc. Müller (Mus. Rhen. XX, 374) contendit Augustum litteris Y et Z (quam *Ariobarzanes* in hoc monumento ostentat) non esse usum: nihil omnino probat epistola ap. Isidor. I. 24, nam agitur ibi de litterarum notis occultis; in secreto hoc litterarum commercio novarum litterarum nullus fuit usus, itaque Augustus pro littera X ponere solebat duplex AA. Epistolam ad filium datam esse dicit Isidorus, hinc Müller de Cajo vel Lucio cogitavit, perperam ille quidem, nam nihil ad illos de imperii secretis scripsisse Augustum consentaneum est; potius Tiberius dici videtur.

3) Nimis patienter nostri grammatici Prisciani et Servii praeceptis fidem habentes credunt Horatium Art. Poet. 65 scripsisse: *sterilisve diu palus aptaque remis*, quandoquidem tunc jam pueri in ludo monebantur, *palus* aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significare, vid. Quint. I, 7. 3.

4) Eandem legem observavisse videntur, qui primi hac nota usi sunt: velut in nummis qui primum circa a. 700 apicis usum testificantur, scribitur *Fúri*(*us*), ut significaretur a *fuso*, non a *furendo* nomen hoc gentilicium descendere, item *Pomponius Músa*,

sed praeter necessitatem nota videtur addita esse III, 3 *quó*, et VI, 9 *á*. Litterae I procerae frequens usus, sed constantiam desideramus, quamquam hac in re fortasse etiam apographa peccant, quae passim inter se dissident. *In* modicam litteram ostentat, ubi subsequitur vocalis, sed ubi consonans subjungitur, semel atque iterum procera littera insignitur [1]).

Graecum exemplum aliquanto negligentius incisum, sed nonnunquam ambigas, haec peccata utrum opificis an describentium errori sint tribuenda; illud inprimis memorabile, quod litterae *O* et *Ω* saepius permutantur.

Templum Ancyrae Romae et Augusto dicatum fuit hexastylum, cujus hodieque insignes reliquiae supersunt. In vestibulo aedis latinus titulus extat, ita ut tres priores paginae intrantibus sint a laeva, tres posteriores a dextra; graeca inscriptio cellae parietem extrinsecus occupat, obstructa illa quidem maximam partem noviciis aedificiis. Hic Augusti rerum gestarum index, quamvis loco satis conspicuo positus, tamen in hoc interioris Asiae angulo, quem non admodum frequentant peregrinantes, facile diu delituisset, nisi Gislenius Busbequius et Antonius Verantius a Ferdinando Germanorum imperatore a. 1555 ad Turcas legati, in itinere dum Amasiam proficiscuntur Ancyrae commorati insigne hoc monumentum animadvertissent et comitibus suis describendum mandassent [2]), qui quidem dispari successu hoc negotio functi sunt: nam paginas III et IV propemodum integras descripserunt, ceterarum tenues reliquias chartis mandavere: sed nihilominus bene de nostris litteris meriti sunt, quandoquidem quamvis subita hominum rudium opera ab oblivione vindicavit hunc indicem, quem primus edidit Andreas Schottus Antverpiae a. 1579.

Cossonianum exemplum, quod edidit Jac. Gronovius Lugduni a. 1695, Busbequianis apographis aliquanto emendatius et auctius est; exhibet enim paginarum I et V insignes particulas, quae illic desiderantur. Cujus opera et quando monumentum iterum sit examinatum ignoramus; nam Da-

---

sed in iisdem denariis *Hercules Musarum* sine apice legitur; scilicet ut latinum cognomen *Musa* a *mussando* descendens segregaretur a graeco vocabulo *Μοῦσα*, quamquam ei, qui primus sigillum illud ascivit, placuit graeca cognominis origo. Etiam in titulo C. In. L. I, 1009 *hóra* rationem habet, item *létum* grammaticorum subtilitas fortasse ab alio quo vocabulo discrevit; nos causa latet, sicut cum *fáto* scribitur ib. 1202. Apice cum primum parcissime usi essent, mox nimius irrupit usus, quod illustrat titulus Sinuessanus 1199, qui vel eam ob causam non potest ad saeculum VII referri, ut Ritschelio visum est. Auctor hujus notae primus quis fuerit, ignoramus: Nigidio Figulo eam laudem vindicat Usenerus, sed hominis solitarii subtilitati apud aequales perexigua fuit auctoritas.

1) II, 21 (insequitur littera S) et V, 23 (ante litteram F), nam alia exempla, quoniam in primordio capitum leguntur, ut IV, 21. V, 28. VI, 18 ambigua sunt: isto enim loco quaevis littera procerior.

2) Ipse Busbequius carebat exemplo indicis, et videtur postea adeo ignorasse a comitibus suis titulum descriptum esse, ut refert Mommsenus de Pighii epistolis narrans (Berichte d. Berl. Akad. 1866. S. 421.).

niel Cosson Batavus, qui Smyrnae negotiabatur ibique a. 1689 demortuus est, nunquam visit Ancyram.

Non ita multo post a. 1701 Tournefort, qui Gallorum regis Ludovici XIV auctoritate illas regiones perlustravit, indicis reliquias denuo cum lapide contulit, neque vero suum exemplum publici fecit juris, sed apographum cum Chishullo Britanno communicavit, qui hunc indicem Londini a. 1728 edidit, ex variis apographis concinnatum; usus enim est non solum Busbequianorum apographis, sed praeter Tournefortum etiam Lucam adhibuit, quamvis satis iniquus Lucae obtrectator; sed insuper quae in his exemplis reperit haud raro temere interpolavit, ita fit, ut Chishulli perexigua sit fides. Habet tamen solus peculiaria quaedam, quae non potuit conjectando assequi, velut VI, 2 seqq., quae unde petiverit incertum; in Tournefortiano certe exemplo, quod Spanhemius a Chishullo sibi suppeditatum descripsit, quodque Mommsenus primus adhibuit, haec non leguntur; itaque Mommsenus suspicatur, duobus diversis Tourneforti exemplis Chishullum usum esse, id quod in medio positum relinquo. Nunc quidem de Tourneforti opera tantum ex Spanhemiano apographo judicari potest, unde apparet illum Cossonianum exemplum, quod denuo cum lapide contulit, compluribus locis et correxisse et supplevisse, neque vero Lucae aequiperasse industriam.

Paucis enim annis post Paulus Lucas, Tourneforti et popularis et aequalis a. 1705 per viginti dies Ancyrano monumento describendo operam dedit; neque enim alienum adhibuit exemplum, sed ut par erat summa et diligentia et fide ea, quae in lapide legere sibi visus est, repraesentavit, ita ut saepe numero etiam prorsus evanidarum litterarum loca sedulo notaret. Hominis optime meriti fidem temere Chishullus evertere studuit, monacho Smyrnaeo auctore narrans, non Lucam hoc exemplum confecisse, sed Fabrum negotiatorem Gallum, a cujus heredibus ille apographum redemerit.

Proximo priore saeculo non videtur quisquam post Lucam denuo Ancyranum monumentum examinavisse; nostro saeculo descripserunt titulum nonnulli, velut Kinneir et Hamilton Britanni, sed laboris fructum nobis inviderunt; alii impares ei negotio fuere, velut Rostan Massiliensis et Barthius, qui paginae quintae partem relegit, cujus apographo usus Mommsenus est, neque quidquam inde in medium attulit, arguto hoc silentio confessus nihil omnino hominem in hoc litterarum genere prorsus rudem praestitisse.

Tandem a. 1859 Berolinensis academiae auctoritate Mordtmannus Ancyram adiit, ut indicis quam maxime exactum exemplum conficeret; verum ille cum A. W. Zumptii editionem subjiceret, saepius fallaci specie deceptus dubiis locis eas lectiones in lapide oculis usurpare sibi visus est, quas Zumptius suppeditavit a veritate abhorrentes; itaque Mommseno merito improbata est Mordtmanni opera, quamquam paullo iniquius de ea judicat, nam non solum multa expedivit, quae postea Perroti testimonio confirmata sunt, verum etiam nonnulla solius Mordtmanni acies deprehendit.

Optime unus omnium meritus Georgius Perrot, qui a. 1861 una cum Edmundo Guillaume operis socio vestigia Lucae popularis quondam sui

strenue secutus summa et fide et cura titulum ad lapidem delineavit. Nec debita laude fraudandus Napoleo III, Gallorum tum imperator, cujus jussu liberalissime instructi illi Galatiam et Bithyniam peragraverunt: neque oblitus est Mommsenus propensam hanc in bonarum litterarum studia voluntatem praeconio ornare, sed ut solet laudis materiam ab aliorum obtrectatione petere, praedicat, quod Gallorum imperator id quod tot regum generationes aut ignorantia sua aut incuria facere neglexerint, in se receperit. Equidem credo eos, quorum animos regii nominis odium non plane occaecaverit, valde mirari, quod hanc laudem sibi praeripi passa sit academia Berolinensis, quae regum nostrorum insigni munificentia opitulante titulorum latinorum pandectas, opus gravissimum ac diu multumque expetitum, inchoavit: nam ubi apparuit Mordtmanni operam non satis facere, oportebat continuo ipsum Mommsenum aut alium operis administrum Ancyram adire, ut authenticum exemplum hujus monumenti, quod inter latinas inscriptiones facile principem locum obtinet, tandem aliquando nanciscerentur.

Graeci tituli reliquias cum jam Tournefort et Lucas animadvertissent, primus Pocockius particulam descripsit, sed hoc demum saeculo integram propemodum inscriptionem e tenebris in lucem protulerunt Hamilton a. 1836 et Perrot a. 1861. Ac posteriorem quidem partem (pagg. X—XIX) Hamiltono acceptam referimus, nisi quod paginas X, XI, XII, XIII iterum examinavit Perrot, paginas XVIII et XIX etiam Mordtmannus descripsit; priorem partem (pag. I—VIII) Perrot eruit, ita ut una tantum pagina (IX) adhuc delitescat [1]). Alterius exempli Graeci, quod fuit Apolloniae, tenues supersunt reliquiae, quas Arundell Britannus a. 1839 indagavit: paginae olim erant VII, hodie summa tantum pars paginarum II. III. IV. et V extat.

Graeca haec interpretatio, quae aliquanto minus detrimenti cepit quam archetypon, plurimum confert ad latinum exemplum redintegrandum; quo subsidio cum priores carerent, permultis locis emendandi et supplendi labor irritus fuit. Ac nunc demum indicem plenum recuperavimus; nam ubi latina penitus oblitterata sunt, velut I, 31—46, aliisque locis, haec jactura graeco exemplo compensatur; ubi graecus titulus hiat, velut III, 26—42 et passim, latina fere integra servata sunt.

---

1) Singulae paginae sunt versuum XXIII vel XXIV, una (V) tantum XXII exhibet; elementa in singulis versibus fere a tricenis ad quadragena ascendunt.

AD AUGUSTI INDICEM COMMENTARIUS.

Inscriptio latini exempli tribus versibus comprehensa per tres primores paginas continuatur; in graeca metaphrasi hic titulus in arctum redactus uno versu absolvitur, ac per paginas XVII porrigitur [1]), sed mirum est septimam decimam semiplenam esse, duas novissimas paginas (XVIII et XIX) tituli prorsus immunes esse, cum opifici licuisset facili negotio litteras, quas inscriptio continet, per omnes paginas aequabiliter propagare. Jam cum p. XVII post *δυσὶ* litterarum detritarum vestigia exhibere videatur (certe in exemplo Hamiltoni quinque loca vacua notata sunt) verisimile est, in novissimis duabus verba olim praescripta nunc plane evanuisse, quod detrimentum ut resarcirem, *πρὸς τῷ ἡρῴῳ αὐτοῦ* adjeci, quemadmodum est apud Dionem C. LVI, 33, ubi hunc indicem memorat: *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ (ἐγέγραπτο) τὰ ἔργα ἃ ἔπραξε πάντα, ἃ καὶ ἐς χαλκᾶς στήλας πρὸς τῷ ἡρῴῳ αὐτοῦ σταθείσας ἀναγραφῆναι ἐκέλευσεν.* Metaphrasta, ut nonulla praetermisit, quae in latini exempli praescriptione sunt, ita alia ipse potuit addere.

Praeterea scripsi *Σεβαστοῦ [θεοῦ, ἃς κατ]έλιπεν,* Mommsenus *Σεβαστοῦ [Καίσαρος κτλ.]*, sed hoc supplementum ipse deinde abjecit, cum locus non satis capax videretur. At cum reliquae paginae sex septemve vel etiam octo litteras prae se ferant, in nona pagina, quae desideratur, duas tantum litteras *ΑΣ* fuisse, plane est incredibile. Porro vivus quidem imperator *Σεβαστὸς Καῖσαρ* vel simpliciter *Σεβαστὸς* vocatur, at vita defunctum suo honore fraudare non decebat praesertim in titulo, qui pertinebat ad templum imperatoris numini consecratum. Quemadmodum in latino exemplo est *divus Augustus*, ita etiam metaphrastam *Σεβαστοῦ θεοῦ* scripsisse consentaneum est. Sane verborum solennis ordo *θεοῦ Σεβαστοῦ* est, sed ad eundem modum qui *Καῖσαρ Σεβαστὸς* dici solet, nonnunquam ordine inverso *Σεβαστὸς Καῖσαρ* appellatur, ut in statua Corcyrensi (C. I. Gr. 1879), ubi Germanicus *Σεβαστοῦ Καίσαρος υἱωνὸς* dicitur. Huius vero licentiae aliud exemplum in praesentia non suppetit, nam in titulo Laconico 1317: *Αὐτοκράτορα Κα[ίσαρ]α Μ. Αὐρήλιον Ἀντω[ν]εῖνον Σεβ. θεοῦ Ἀν[τ]ωνείνου υἱόν* notam *Σεβαστὸν*

1) In exemplo Apolloniensi inscriptionis nullum vestigium comparet.

non *Σεβαστοῦ* interpretor. Quod in inscriptione Lesbia apud Conzium (Iter Lesb. t. XIV, 2) Henzen p. 30 supplevit: [*αὐτοκράτορος*] *Καίσαρο*[*ς σεβαστῷ θεῷ*], non solum incertum est, sed etiam citra necessitatem justum ordinem mutavit.

In praescriptione latini exempli v. 2 INPENSARVM Perr. Mordt., IMPENSARVM priores, v. 3 Perr. Mordt. SV/T, sed integrum vocabulum exhibent priores.

Cap. I.

Pag. I, 2 Gronovii supplementum [*do*]*minatione factionis oppressam* plane confirmat Velleii locus II, 61, quem iam alii adhibuerunt: *torpebat oppressa dominatione Antonii civitas . . . cum C. Caesar undevicesimum annum ingressus . . . privato consilio majorem senatu pro re publica animum habuit primumque a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos.* Velleio haud dubie haec indicis verba obversata sunt [1]), neque tamen ut plane haec inter se conveniant, cum Chishullo *egressus* corrigendum est. — In graeca metaphrasi articulus *τὸ στράτευμα* redundat, deinde *ἐμῷ* [*ἀναλώματ*]*ι ἡτοίμασα* interstitio complendo non satis facere videtur, sed neque *ἐμοῖ*[*ς ἀναλώμασι*] [2]), neque *ἐμῷ* [*ἀναλώματι πα*]*ρητοίμασα* probabilia.

P. I, 3. *Pro quo merito sen*]*atus* scripsi, ut est VI, 16 *pro quo merito meo*, Mommsenus *propter quae* edidit. In Gr. exemplo nolui *Πάνσα*, quod est in lapide, corrigere, cum litterae I addendae in extremo versu locus deesse videatur, atque talis omissio in hujus saeculi inscriptionibus admodum frequens sit.

P. I, 5 quae leguntur, offensioni valde sunt obnoxia. Mommsenus, secutus interpretationem graecam, quemadmodum Kirchhoffius conformavit, scripsit: [*Eodemque tempore imp*]*erium mihi dedit. Res publica, n*[*e quid accideret, a senatu mihi*] *pro praetore simul cum consulibus* [*t*]*r*[*adita est tuenda.*] Sollerter utrumque criticum suo negotio functum esse haud infitior, neque tamen haec sufficiunt: propriis enim verbis hac de re usum esse Augustum consentaneum est, verba latina, quemadmodum hic leguntur, oratorem fortasse decent, a publico monumento abhorrent. Mommseni autem supplementa cum a graeca metaphrasi suspensa sint, primum examinemus necesse est, quae fides Kirchhoffii coniecturis sit habenda, scripsit enim ille: [*Ἡ δὲ α*]*ὐ*[*τῇ ἐ*]*μοὶ ἔδ*[*ωκεν ἀρχὴν κα*]*ὶ τὰ δημόσια πράγματα, μή τι*[*συμβ*]*ῇ, ἐμοὶ με*[*τὰ τῶν ὑπά*]*των προνοεῖν ἐπέτ*[*ρ*]*εψεν ἀντὶ στρατηγοῦ* [*ἡ σύνκλητος*]. Prima verba cum ipsa non satis commoda sint, tum cum latini exempli

---

1) Etiam Cicero Phil. III, 2 Octavianum dicit *privato consilio, neque enim aliter fieri poterat, rem publicam liberasse.* Cf. etiam Philippi or. contra Lepidum (Sallust. Hist. I. p. 83 ed. Kr.): *quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus rei publicae contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit.* item Vell. II, 29 de Pompejo: *privatis ut opibus ita consiliis . . . contraxit exercitum.*

2) Cf. Gr. int. p. XVIII, 6, ubi *ΕΜΩΙ* pro *ἐμοὶ* scriptum.

supplemento non congruunt; in lapide videtur *ΩΥ* esse, sed prior littera dimidiata, itaque *ΛΥ* delitescere non abhorret a veritatis specie, *συμβῇ* autem, licet scite inventum, prorsus adversatur litteris, quarum vestigia quamvis evanida haec fere comparent *ΜΗΤΙΙΛΛΡΗΙ*, itaque prima certe littera verbi quod desideratur non fuit *Σ*. Denique novissimum vocabulum *ἡ σύνκλητος* plane molestum; quod si in libro legeretur, unusquisque tanquam librarii inutile additamentum expungendum esse censeret; praeterea vel locus huic supplemento videtur deesse. Equidem non dubito, quin in altero versu in litterarum reliquiis *ΜΗΤΙΒΛΛΒΗΙ* delitescat, atque iam plana est verborum conformatio, quae apud Kirchhoffium satis est impedita. Totus autem locus ita videtur redintegrandus: *καὶ αὐτίκα ἐμοὶ ἔδωκεν ἀρχήν, καὶ τὰ δημόσια πράγματα, μή τι βλαβῇ, μετὰ τῶν ὑπάτων προνοεῖν ἐπέτρεψεν ἀντὶ στρατηγοῦ* [1]).

Iam latina quoque probabiliter restituere licet in hunc modum:

> *Neque ita multo post* imperium mihi dedit, *et* respublica ne quid *detrimenti caperet*, *me* pro praetore simul cum consulibus *providere iussit.*

Post *dedit* inserui *et*, quod in extremo versu facile oblitterari vel a describentibus negligi potuit: copulam et instituta sententia plane flagitat et graeca interpretatio confirmat; nam eadem opera senatus Augusto imperium dedit et operam dare iussit, ne quid detrimenti respublica caperet. Deinde *providere* scripsi, lenem adhibens medelam apographis, in quibus est *IR*. Sane alias vel *videre* vel *operam dare* ea de re dicitur, at non minus commodum *providere*, idque ipsum graecus interpres opinor legit, qui *προνοεῖν* scripsit. Carmen solenne, quod in graeco pariter atque in latino exemplo recuperavi, etiam Mommsenus suspicatus est restituendum esse, sed quod dubitanter supplevit: *res publica, ne quid detrimenti caperet, me pro praetore simul cum consulibus ire ad exercitum iussit senatus*, improbandum omnino: ita enim potentia illa, quae latissime patebat, arctissimis finibus circumscripta fuisset. Ceterum *decreta senatus honorifica*, quae Augustus dixit supra, etiam ad hoc ipsum *SC* spectant, quod moneo propter Mommsenum. Quod scripsi *neque ita multo post* (*καὶ αὐτίκα*) satis congruit cum rerum gestarum ordine; nam diebus Januarii 1 et 2 acta sunt, quae modo Augustus enarravit, fasces autem et imperium paucis diebus post accepit, ut ostendit monumentum Cumanum (Orelli I. Lat. III. 5359): *VII Idus Januar. e(o die Caesar) primum fasces sumpsit.*

P. I. 8 *uterque cos.* scripsi propter interstitii angustias, quamquam alias Augustus ibi tantum hac nota utitur, ubi annum designat. In graeca metaphrasi *ὁμοίως δὲ ὁ δῆμος* dedi, ut hiatum complerem, nam praegressi enuntiati clausula integra est.

---

1) *Καὶ αὐτίκα* nunc scripsi, cum antea *μετ' οὐ πολὺ* proposuissem; item quod *στρατηγοῦ ἐξαπελέκεως* suaseram, jam abjeci.

Cap. II.

P. I, 10 *qui parentem meum* [*occideru*]*n*[*t*, *eo*]*s* Mommsenus scripsit, haud dubie verum assecutus, quamvis apographorum sit magna dissensio, nam Mordtm. N/////S, Perr. N////I, Luc. NIAS, Coss. NI//S. Fortasse rectius scripseris *occiderant*, ut est V, 1 *servorum qui fugerant.* Deinde *vici* [*i*]*n* [*aci*]*e* [*bis*] restitui, quod manifesto latet in exemplo Perr. VICIN/// L/// (Mordt. VICI, ceteri versum prorsus omiserunt.), cf. infra V. 21 *caesae sunt in acie*, quamquam Gr. interpres hic *ἐνείκησα παρατάξει* scripsit.

Cap. III.

P. I, 13 discrepant apographa, nam Perr. /RMA, Coss. Chis. ARMA, sed Luc. LIA, Mordtm. /ELLA; verum tenue dicendi genus, quo utitur Augustus, *armorum* vocabulum non videtur recipere, ac Mordtmannus hic satis locuples auctor, quandoquidem Zumptius *arma* edidit. Deinde *terra et mari* Mommsenum secutus dubitanter scripsi [1]), exspectamus enim *terra marique*, sed loci angustiae adversantur. Apographa hic quoque admodum variant, Perr. TERRALMAR, Mordtm. TERRA· MAR, Luc. TERRA//////MAR, Coss. TERRA· (vel TERRAE·) MARIQVE. Quod scripsi *s*[*edavi*] melius opinor institutae sententiae convenit, (cf. Cic. Catil. II, 13. Nepos Datam. 8.) quam Mommsenianum *sustinui*, aut quod fortasse aliis placeat *sumpsi* (Liv. epit. 118.); eam enim laudem Augustus sibi vindicat, quam ei Velleius impertit II, 89, 3: *finita vicesimo anno bella civilia*, *sepulta externa*, *revocata pax*, *sopitus ubique armorum furor* [2]). Denique inserui *deprecantibus*; rem ipsam illustrat Vellejus II, 86, 2: *victoria fuit clementissima*, *nec quisquam interemptus est* (*nisi*) *paucissimi*, *et ii*, *qui deprecari quidem pro se non sustinerent*, ita enim hic locus in ed. Basil. probabiliter redintegratus est. Quod Chishullus supplevit *supplicibus* ab Augusti modestia abhorret, *superstitibus*, quod Gronovius proposuit probante Mommseno, prorsus otiosum, nam victorem in mortuos cives saevientem quis tandem aequo animo ferat. — P. I, 15 ubi Mommsenus scripsit, *quibus tuto* [*parcere pot*]*ui*, [*co*]*nservare*, minus grata ejusdem vocabuli repetitione, substitui: *quibus tuto* [*ignosci lic*]*ui*[*t*, *co*]*nservare*, quod supplementum graeca interpretatio *οἷς ἀσφαλὲς ἦν συγγνώμην ἔχειν* plane confirmat. Passiva verbi forma non solum Ovidius usus est de arte am. I, 219: *nocte latent mendae*, *vitioque ignoscitur omni*, sed etiam pedestris oratio admisit, velut Quintil. I, 8, 14: *poetae*, *quibus quia plerumque metro servire coguntur*, *adeo ignoscitur*, et Sueton. Aug. 33: *tertiam quoque* (*tabulam dedit*), *qua ignosceretur iis.*

In Graeca metaphrasi quod Mommsenus sive Kirchhoffius *πολέμους ἐμφυλίους καὶ ὀθνείους* exhibent, sermoni vulgari et nihil supra modum se extollenti, quem interpres saeculi hujus more sectatur, non satis conveniens,

1) Conferas Cic. Verrin. II, 2 42: *et terra et mari.*

2) Cf. Seneca de morte Claudii 10: *ideo civilia bella compescui.*

praetuli igitur ἐξωτικούς, quemadmodum glossographi latinum vocabulum interpretantur [1]), sed in oratione Dio C. non dubitavit LVI, 37 κατὰ τοὺς πολέμους τούς τε ἐμφυλίους καὶ τοὺς ὀθνείους scribere. Deinde πολ[λοὺς] scripsi, ubi in lapide est *ΙΤΟΛ...*, nam πολεμῶν, quod Berolinenses intulerunt, non solum prorsus otiosum est, sed etiam recedit a distinctionis lege, quae in Graeco exemplo diligentissime servatur; πολλοὺς interpres non inepte de suo addidit, ut alibi quoque latini indicis verba amplificare solet. Reliqua redintegravi ad latinum exemplum, quemadmodum supra conformavi.

P. I, 16. Numerum militum, qui in verba Augusti iuraverunt, periisse valde dolendum: Mommsenus Gronovii supplementum *quingenta* rationibus commendare instituit, et cum CCC millia militum honestam missionem accepisse dicantur, sub Augusti autem mortem plus quam CL millia sub signis fuerint, inde conficit L millia vel in bello cecidisse, vel in militia diem supremum obiisse, vel denique cum ignominia missos esse. Mihi quidem hic numerus nimis exiguus videtur, reputanti plurima et gravissima bella, quae Augusto imperante populus Romanus saepe haud prospere gessit, ita ut multo plures milites vel ferro vel morbis ac laboribus absumtos fuisse certissimum sit: neque eorum, qui honesta missione non dignati sunt, exiguus fuisse videtur numerus. Procul autem habenda est suspicio, Augustum, ut imperii sui felicitatem exaggeraret, scientem dolo malo numeros adulteravisse. Omnino autem si quis haec ad iustos calculos revocare velit, investigandum erit, quot milites singulis annis dilecti fuerint: quem numerum valde variavisse pro re nata consentaneum est: inprimis autem tenendum, exercitum, quem moriens Augustus Tiberio tradidit, pacato orbe terrarum aliquanto minorem fuisse quam priore tempore, ubi gravissimorum bellorum discrimina erant subeunda. Denique comprehendit haec summa, quam indagare studemus, etiam eos milites, qui ubi primum Octavianus exercitum comparavit in eius verba iuraverunt. Itaque *millia circiter sescenta* scripsi, ut quarta fere militum pars i. e. millia CL vel ferro absumti sint vel sub vexillis mortem obierint, vel sine praemiis missi. Nonnullis fortasse etiam hic numerus non satisfaciet, sed quominus *septingenta* vel *octingenta* scribatur, arctius spatium prohibet, *nongenta* autem, quod hiatum commode explet, fidem omnino videtur excedere.

Quae subsequuntur, nego a Mommseno recte adornata esse, qui scripsit:

> Ex quibus dedu[*xi in coloni*]as aut remisi in municipia sua stipen[*dis emeri*]tis millia aliquant[*o plus qu*]am trecenta, et iis omnibus agros a [*me emptos*] aut pecuniam pro pr[*aediis a*] me dedi.

At vero Augustus non privatis opibus agros emit aut pecuniam sua impensa militibus qui stipendia emeruerunt persolvit, hoc enim est *a se dare*,

---

1) Si cui minus placeat hoc vocabulum, is poterit ἐχθήμους substituere, quemadmodum est ap. App. B. C. IV, 9. Nicol. Dam. vit. Aug. 2 scripsit: μεγάλων πολέμων ἐγχωρίων τε καὶ ἀλλοεθνῶν.

velut apud Suet. Aug. 40 legitur: *comitiorum quoque pristinum jus reduxit, ac multiplici poena coercito ambitu, Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula milia nummum a se dividebat.* Itaque nullo pacto ista supplementa ferri possunt; mihi quidem Augustus scripsisse videtur:

et iis omnibus agros a[*dsignavi*] aut pecuniam pro pr[*aemis milit*]iae dedi.

Certum est *adsignavi*, sprevit tamen Mommsenus, qui quod suum supplementum collato loco III, 22 seq. commendari dicit, dissimilia prorsus comparavit; namque ibi septem tantum annorum praemia enumerantur, hic agitur de militibus dimissis per longam annorum seriem, quibus Augustus rempublicam administravit. Quod si illis septem annis veterani praemia Augusti liberalitati accepta retulerunt, qua de re infra dicetur, veri simile est reliquis annis sumtum publice suppeditatum esse, qui sumtus ut sine difficultate in posterum suppeteret, anno 758 aerarium militare institutum est. Deinde dubitanter scripsi *pro pr*[*aemis milit*]*iae*, nam in lapide videtur ME legi, solus Lucas AE exhibet, sed fuit opinor IAE. Fortasse existimet aliquis mei supplementi non satis capax esse interstitium, siquidem novem litteras desiderari censet Mommsenus: sed haec ratio parum certa, quemadmodum in proximo versu octo litteras oblitteratas esse dicit, at secundum supplementum, quod ipse Mommsenus probavit, novem desunt: itaque mea coniectura non est calumniae obnoxia. *Praemia finitae militiae* Tacitus dixit Annal. I. 26; structuram ipsam ne quis a latini sermonis usu ac proprietate adhorrere existimet, adhibeo Ciceronis locum de provinciis consul. c. 3: *quattuor sunt provinciae, quas vobis invitis et oppressis pestiferi illi consules pro eversae reipublicae praemiis occupaverunt.* Denique cum Gronovio scripsi *aliquanto plura* ut est III, 21, Mommsenus *plus.*

Ad eundem modum refinxi graecam interpretationem, II v. 3 *πολιτείας* scripsi, in lapide *ΠΟ//////Κ* esse perhibetur, ubi *Κ* haud dubie ex *ΑΣ* depravatum; v. 4 et 5 tenues supersunt reliquiae:

ΣΣΤΡΑΤΙ Σ
Ο ΤΙ

P. I, 19. 20 Mommsenus edidit: *Naves cepi sescen*[*tas, praeter e*]*as, si quae minore*[*s quam trir*]*emes fuerunt*, et fere eodem pacto priores hoc enuntiatum conformaverunt. Mihi vero haec verborum structura satis insolens et molesta videtur, namque *naves cepi praeter minores sescentas triremes vel quadriremes* (*vel triremibus majores*) dici oportebat; offendit etiam numerus navium ad amussim exactus, alias enim Augustus majoribus numeris ubi utitur, plus minusve esse indicat. Denique in intercapedine non tot litterae videntur oblitteratae esse. Quare scripsi:

Naves cepi sescenta[*s fere : e*]as, si quae minore[*s quam bir*]emes fuerunt,.... solet enim Augustus, ubi explicandi gratia aliquid subjicit, a pronomine *is* sensum inchoare, cf. III, 21. 23. V, 7. 24. VI, 25. *Biremes* praetuli, quoniam octo tantum litterae periisse videntur. Sane Perrotus post *fuerunt*

interductum exhibet >, ut ibi sensus claudi videatur, sed credo vestigium litterae insequentis residuum esse, estque etiam alias similiter erratum, velut IV. 20 Mordtmannus virgulam notavit post *Minucium*, ubi verbum subsecutum esse manifestum est. Sed Graeca metaphrasis cum hic plane desideretur, restitutio incerta, nisi quod suspicor Augustum captivas naves minores tabulato addito sublimavisse; ut *adlevavi* vel tale quid sit addendum. Certe Pompejanae naves fere minores erant, ut Appianus B. C. V, 106 indicat: *ἦν δὲ καὶ τὰ σκάφη Πομπηΐῳ μὲν βραχύτερα καὶ κοῦφα καὶ ὀξέα ἐς τὰς ἐφορμήσεις τε καὶ περίπλους, Καίσαρι δὲ μείζω καὶ βαρύτερα καὶ παρ' αὐτὸ καὶ βραδύτερα.* Pompeio biremes fuisse Suet. Aug. 16 significat; Augusto tunc praeter biremes fuerunt maxime triremes (Appian. V, 80) vel etiam majores (ib. 98). Rursus Antonii classis navium magnitudine Octavianam superabat, hinc Vellej. II. 84, 2: *navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illa specie terribilior*; adde Flor. II. 21, qui dicit Antonii naves a senis remorum ordinibus in novenos (cf. etiam Dio C. L, 18. 29. 32. Plutarch. Anton. 61. Oros. VI, 19, qui Antonii classem quantum numero cessisse, tantum magnitudine praecelluisse dicit, *nam decem pedum altitudine a mari aberant*), Augusti naves a binis in senos remigum ordines crevisse, id quod meam conjecturam firmat naves minores, quam biremes, captas ab Augusto ampliatas esse. Adde Veget. V. 3, qui refert Augustum apud Actium potissimum Liburnarum navium, quae biremes erant, auxilio victoriam reportavisse.

Cap. IV.

P. I, 21 triumphorum numerus quamquam et in latino et in graeco exemplo oblitteratus est, tamen restitutio certa, quam confirmat Sueton. Aug. 22, qui hoc quoque loco hunc indicem sequitur: *bis ovans ingressus est urbem, post Philippense et rursus post Siculum bellum: curulis triumphos tris egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes.* Huc etiam spectant versus Albini ex rerum Romanarum libro I apud Prisc. VII, 22:

Ille, cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.

P. I, 22 [*cum postea plu*]*ris triumphos mihi senatus decrevisset* scripsi, fere priores secutus, nam quod fortasse aliquis conjiciat [*cumque alios t*]*ris triumphos* restituendum esse, nimis incertum est. Deinde interductus in lapide post *deposui* adhibitus ratione caret, quamvis Mommsenus probaverit: nam vota in Capitolio et nuncupantur et redduntur, eodemque loco etiam fascium laureae deponuntur: omnino autem convenit principalis actionis locum designari. Ista distinctio tum demum admittenda foret, si Augustus vetere more abrogato laurus triumphales in alio loco deposuisset. Sane Sueton. Aug. 29 refert principem sanxisse, ut in templo Martis Ultoris *de bellis triumphisque consuleretur senatus*, *provincias cum imperio petituri hinc dedu-*

ferentur, quique victores redirent, huc insignia triumphorum conferrent: verum insignia haec non laurus fascium, sed scipio eburneus et laurea imperatoris corona fuerunt, ut Dio C. LV, 10 docet[1]); apparet igitur Jovem Capitolinum vetere honore non orbatum esse[2]). Praeterea Augustus hoc novavit anno demum 752, ubi Martis aedem dedicavit eique multa privilegia concessit[3]); triumphi autem, quos recusavit Augustus, annis superioribus ut videtur omnes adscribendi. — Supplicationum numerus P. I, 24 seq. ambiguus, nam cum in lapide nihil nisi QV extet, incertum utrum *quinquagiens* an *quadragiens* sit restituendum; illud praetulit Mommsenus, quoniam Lucas QVE exhibet, sed veterum exemplorum ea in re non satis certa fides, in quibus vocabula imperfecta non raro pro arbitrio redintegrantur. Equidem minorem numerum *quadragiens* praeoptavi; nam cum prisco tempore supplicationes paucorum essent dierum, neque ultra quartum diem continuarentur, hoc saeculo fere per X, XV, XX, XL, L dies supplicatum est: quare si senatus XLV supplicationes decrevit, fuerunt singulae fere dierum vicenorum, atque cum Augustus XXI imperator sit appellatus, etiam cum hoc honore supplicationum numerus satis congruit. — P. I, 26 supplementum: [*dies hi, pe*]*r quo*[*s*][4]) satis confirmat graeca interpretatio [*Ἡμ*]*έραι οἶν αὖ*[*ται*]. Deinde in Graeca metaphrasi II, 22 scripsi [*κατήχθ*]*ησαν*, ut est apud Plutarchum Anton. 78, nam [*ἐπομπεύθ*]*ησαν* non recipiunt loci angustiae.

P. I, 29 [*et eram t*]*r*[*icensimum septimum tribu*]*niciae potestatis* scripsi, graeci interpretis vestigia diligenter legens, cum Mommsenus liberius conformaverit in hunc modum: *annumque trigesimum septimum tr. pot. agebam.* Numeri una superest littera quam solus Mordtmannus animadvertit P, in cujus locum R restituenda est. Sane qui *tribuniciae potestatis esse* dixerit nullum novi scriptorem[5]), nisi Orosium VI, 18: *ovans urbem ingressus,*

---

1) *Τοὺς πέμψαντας αὐτὰ (τὰ νικητήρια) τῷ Ἄρει τούτῳ καὶ τὸ σκῆπτρον καὶ τὸν στέφανον ἀνατιθέναι.*

2) Ita ipse Augustus a. 741 ex Gallia redux *ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο,* ut Dio C. LIV, 25 dicit. Atque etiam postea vetere more has laureas in Capitolio depositas esse testantur praeter locos, quos Mommsenus adscripsit, Plin. Paneg. 16 (coll. c. 8) et Pacatus Paneg. in Theodos. 9. Semel Augustus lauream Jovi Feretrio dedicavit praeter consuetudinem a. 746 (Dio C. LV. 5).

3) Cf. Suet. Aug. 29. Dio C. LIV, 8 ubi de aede Martis Ultoris in Capitolio dedicata verba facit, non inepte dicit factam esse *κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ φερετρίου ζήλωμα.* Huc etiam pertinet, quod Suet., Aug. 21 narrat: *quorundam Barbarorum principes in aede Martis Ultoris coegit jurare, mansuros se in fide ac pace quam peterent;* namque veteres Romani Jovis Feretrii sceptro utebantur, per quod jurarent (Festus p. 92), pacem facientes ac foedus sancientes, cf. Serv. ad Virg. Aen. XII. 206.

4) Perr. exhibet R· QVO· EX, Mordt. Luc. R· QVO ////. Deinde solus Mordt. DVCTI SVNT, Perr. VO ////NT, Luc. VO.

5) Cave enim huc referas falsa specie deceptus SC de ludis saecularibus *p. pa. tribunicia potestate futuros,* quae verba quomodo restituenda sint, dicam infra.

ut in perpetuum tribuniciae potestatis esset, a senatu decretum est, a quo exemplo non multum abhorret Aurel. Vict. Caes. 1: *pater patriae ob clementiam ac tribunicia potestate perpetuo habitus*; namque alias genitivus aut ablativus solus adhibetur [1]) ad hunc honorem designandum, hoc autem loco verbo omnino non possumus carere.

In Graeco exemplo legitur *ΥΔΕΥ///ΥΟΤΕ*, hinc Mommsenus [*ὑπάτευσα τρίτον κ*]*αὶ δέκ*[*ατο*]*ν*, *ὅτε* edidit, sed interstitium tot litterarum non est capax, ut conjicias *τρίτο*]*ν δέκ*[*ατο*]*ν*, at tertius decimus Augusti consulatus ubi in latino indice memoratur (III, 19, IV, 38, VI, 24) interpres *τρὶς καὶ δέκατον* scribere solet: neque vero huic loco aptum ordinis vocabulum, nam non anno 767, quo haec scripsit Augustus, sed a. 752 consulatum XIII gessit, nisi forte credas metaphrastam non satis recte interpretatum latina verba scripsisse [*ὑπάτευον τρὶς κ*]*αὶ δέκ*[*ατο*]*ν*, nam *ὑπάτευσα τρὶς* (sive *τρίτον*) *καὶ δέκατον* quoniam quae adversa fronte inter se pugnant copulantur omnino rejiciendum; sed magis verisimile describentes litteras evanidas non satis recte delineavisse, quam interpretem aberravisse, quare *ὑπάτευσα τρὶς κ*]*αὶ δεκ*[*άκι*]*ς* scripsi.

Cap. V.

Graecum exemplum *αὐτεξούσιον ἀρχὴν . . . διδομένην ὑπό τε τοῦ δήμου καὶ τῆς συνκλήτου* secutus *jussu populi et senatus* scripsi [2]), neque enim Mommseno obsequendum, qui invertit ordinem *a senatu populoque*: ac plane congruit, quod infra II. 1 Augustus dicit se patriciorum numerum auxisse *jussu populi et senatus*, servavitque ibi etiam metaphrasta hunc ordinem. Et illo quidem loco ipse Mommsenus probabiliter explicat, post legem Saeniam latam eadem de re factum esse senatus consultum. Hic autem quo pacto dictatura oblata sit Augusto Dio C. LIV, 1 planissime exponit: plebs enim urbana, cum pestilentia pariter atque annonae penuria vexaretur, *δικτάτωρα αὐτὸν ἠθέλησαν προχειρίσασθαι, καὶ τήν τε βουλὴν κατακλείσαντες ἐς τὸ συνέδριον, ἐπηνάγκασαν τοῦτο ψηφίσασθαι, ἀπειλοῦντες σφᾶς καταπρήσειν, καὶ μετὰ ταῦτα τὰς ῥάβδους τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσι λαβόντες, προσῆλθον αὐτῷ, δικτάτωρά τε ἅμα δεόμενοι λεχθῆναι, καὶ ἐπιμελητὴν τοῦ σίτου, καθάπερ ποτὲ τὸν Πομπήιον γενέσθαι·* itaque Vellejus II, 89, 5 et Suetonius Aug. 52, qui paucis haec attigunt, populi tantum mentionem faciunt; et Vellejus quidem cum significat populum saepius dictaturam Augusto detulisse, congruit cum indice.

---

1) Uterque casus promiscue adhibetur, variaturque structura nullo prorsus discrimine, quemadmodum ipse Augustus infra III, 12 scripsit: *tribunicia potestate duodecimum*, et 15: *tribuniciae potestatis duodevicesimum*.

2) Alia quaedam exempla, velut quod in Aemilii Pauli titulo Hispaniensi nuper reperto est *dum populus senatusque Romanus vellet*, et in foedere cum Astypalaeensibus facto *ὁ δῆμος καὶ ἡ βουλὴ* ipse Mommsenus in Herma III, 261 seqq. prudenter expendit.

Populo dictaturam deferenti cum pertinaciter restitisset Augustus, eodem temporis articulo curam annonae in se recepit, sed quae ea de re in indicis latino exemplo leguntur maximam partem oblitterata sunt, neque graeca metaphrasis omni ex parte integra servata est, itaque non mirum accidit, si neque Kirchhoffio neque Mommseno successerit emendatio, velut ille in graeco exemplo scripsit ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς [1]), ἣν οὐ [ποησάμενος ἀμελῶς], ubi vel insolens verborum ordo offendit, ac praeterea ἐπιμέλειαν οὐκ ἀμελῶς ποιεῖσθαι a graeci sermonis proprietate abhorret, quandoquidem ἐπιμέλεια hic ipsum munus extraordinarium significat; obsecutus tamen Mommsenus *curam annonae, qua non neglegenter facta* edidit, quod non magis latini sermonis consuetudini convenit: deinde in Mommseni restitutione verba *meis sumptibus* et *paucis diebus* non suo loco posita offendunt, neque apte pluraliter *sumptus* dicuntur, quo vocabulo Augustus omnino non est usus [2]). In Graeco exemplo cum haec legantur: *HNOY* | *///////////ΑΩΣΙΙΝΩ/Ι/ΑΙΣ* . . . *ΕΛΕΥΘΕΡΩΣΑ/*, equidem scripsi ἣν οὐ | τως ἐπετήδευσα, ὥστ' ἐν ὀλίγαις ἡμέραις . . . ἐλευθερῶσαι. et ad eundem modum latina conformavi. Ceterum interpres *populum universum* (nam eo manifesto ducunt vestigia latini exempli) negligenter transtulit τὸν δῆμον.

Quae subsequuntur in graeco exemplo fere integra extant, latini indicis tenues reliquiae, quemadmodum refinxi, prorsus conveniunt cum graeca interpretatione: *con*[*sulatumque mihi t*]*um annuum* e[*t perpetuum datum non accepi*]. CON Perrotus (SOM Mordt.) recte prodidit, qui deinde NNVVM/I enotavit, sed plenius Mordtmanni exemplum VM· ANNVVM fide omnino dignum. De consulatu tunc repudiato nihil praeterea memoriae est proditum; neque enim huc ut Mommseno visum est referenda sunt Dionis verba (54, 1.), qui dicit plebem calamitatibus graviter vexatam aegre tulisse, quod Augustus eo anno consulatu non fungeretur, neque Dio erroris insimulandus, qui propterea Augusto dictaturam oblatam esse narrat. Ut ipse Augustus indicat, consulatus ei delatus est postquam dictaturam repudiavit et annonae curam suscepit. Dio hoc praetermisit, sed quod ille addit, Augustum censuram in perpetuum populo offerente deprecatum et statim Aemilium Paullum et Munatium Plancum censores designavisse (LIV, 2), ejus rei Augustus in indice nullam facit mentionem.

Absoluto commentario nactus sum A. W. Zumptii commentationem de monumento Ancyrano supplendo (Berol. 1869), in qua de hoc capite V et

---

1) Metaphrasta *curam annonae* minus recte ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς interpretatur, Dio Augustum ἐπιμελητὴν τοῦ σίτου appellat.

2) Citeriores scriptores *sumptibus suis, publicis sumptibus*, alia id genus dicunt, velut Plinius in Paneg. 26. 28, apud antiquos ubi plurativus numerus adhibetur, fere profusionis exprobratio inhaeret, id quod etiam cadit in exempla, qualia apud Cic. ad Attic. II, 32 et de lege agrar. II, 28 leguntur: nam rationem habet *impendent infiniti sumptus* ad Brut. I, 18 vel *perpetuos sumptus suppeditare* de offic. II, 12, neque aliter Sallust. Histor. II. p. 167 ed. Kr. *vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent.*

proximo subtiliter et copiose disputavit. Is igitur graeca conformavit hunc in modum:

Αὐτεξούσιόν μοι ἀρχὴν καὶ ἀπόντι καὶ παρόντι
διδομένην ὑπό τε τοῦ δήμου καὶ τῆς συνκλήτου
[Μάρκ]ῳ [Μα]ρκέλλῳ καὶ Λευκίῳ Ἀρρουντίῳ ὑπάτοις
[καὶ τὴν] ἐξαμήνου παρῃτησάμην.

quibus Latinum exemplum accommodavit:

Dictatura]m et absent[i *et praesenti mihi datam a populo et senatu*
M. Marce]l[*lo et*] L. Ar[*runtio cos. etiam semenstrem deprecatus sum.*]

quae non admitti posse arguit Graeci exempli species non dubia:

ΕΞΑΜΗΝ· ΟΥΠΑΡΗΤΗΣΑΜΠΝΕΝΤΗΙΜΕΓΙΣΤΗΙ

distinctio enim comparet post primum, non post tertium vocabulum; quod cum non curaverit Zumptius, concidunt etiam conjecturae, quas de proximis proposuit:

Ἐν τῇ μεγίστῃ
[τοῦ σίτ]ου σπά[ν]ει τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς, ἣν οὐ
[προσιέμενος ὅμ]ως [ἐ]ν [ὀλίγ]αις ἡμέραι[ς τοῦ πα]ρόντ[ος]
φόβου καὶ κ[ινδύ]νου ταῖς ἐμαῖς δαπάναις τὸν δῆμον
[ἠ]λευθέρωσα, [ὑ]πατείαν τέ μοι τότε διδομένην καὶ
ἐνιαύσιον κα[ὶ διὰ] βίου οὐκ ἐδεξάμην.

[*In maxima frumenti p*]enuri[*a curam annonae, qua non admissa tamen paucis diebu*]s [*met*]u et pe[*ri*]c[*ulo praesenti populu*]m univ[*ersum meis sumptibus liberavi, et*] con[*sulatum tunc tam a*]nnuum [*quam perpetuum mihi datum non accepi*].

Atque haec supplementa oratione adeo contorta laborant, ut nihil sit supra; id quod ab dicendi genere, quo Augustus utitur, plane abhorret.

Cap. VI.

Hujus capitis graeca tantum extat interpretatio, nam latina penitus intercepta sunt praeter principium, in quo consulum nominibus anni indicantur, quibus Augusto morum legumque regimen identidem est mandatum: nam de hoc gravissimo munere Augustus haec scripsit, quemadmodum Kirchhoffius conformavit III, 14 seq.

. . . *τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν* | *Ῥωμαίων ὁ[μολογο]ύντων [ἐπιμελ]ητὴς* | *τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρό[πων τῇ με]γίστῃ* | *[ἐξουσίᾳ ἐ]χειροτονήθ[η]ν. ἀρχὴν οὐδε* | *μ[ίαν] πα / / / / / / τ / / ρ / / η διδομένην ἀνεδε* | *ξάμην. ἃ δὲ τότε δι' ἐμοῦ ἡ σύνκλητος οἰ* | *κον[ο]μεῖσθαι ἐβούλετο, τῆς δημαρχικῆς ἐξου* | *σίας ὢν ἐτέλ[εσα].*

At haec pericula non satisfaciunt, nam III, 15 et III, 17 multo plures litteras detritas esse manifestum, inprimis autem miror elementa IH, quae leguntur post *ὁμολογούντων,* quaeque non pertinere ad primas litteras vocis *ἐπιμελητής* certum est, plane neglecta esse: accedit quod dandi casus *τῇ μεγίστῃ ἐξουσίᾳ* a graeci sermonis proprietate abhorret; quae proxime sequun-

tur Kirchhoffius non est ausus redintegrare, Mommsenus proposuit *ἀρχὴν οὐδεμίαν παραπλησίαν ἔπειτα διδομένην ἀνεδεξάμην*, quae cum a litterarum vestigiis recedant, tum orationis tenore parum commendantur; certe dici debebat *οὐδὲ ἀρχὴν παραπλησίαν*. Verum arbitror has difficultates facili negotio expediri posse, si scripseris:

τῆς [συ]νκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν | Ῥωμαίων ὁ[μολογο]ύντων ἡι[ρέθην ἐπιμελ]ητὴς | τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρό[πων, τὴν με]γίστην | [παραλαβὼν τῶν] χειροτονητῶν ἀρχήν· οὐδέ | μ[οι] πά[λιν εἰς πέν]τ[ε] ἔ[τ]η διδομένην ἀνεδε | ξάμην.

Supersunt in exemplo Ancyrano III, 14:

/ / / / ΙΩΝΟ / / / / / / / / / / ΥΝΤΩΝΙΗ Γ / / / / / / / / ΙΙΙΙΣ

tot enim elementa desiderari videntur: fortasse igitur aliquis existimet spatium mei supplementi *ἡρέθην ἐπιμελητὴς* non satis capax esse, at apographum in hac quidem parte non plane ad amussim factum; nam ut hic interstitium nimis est contractum, ita quod antecedit nimis est amplum, neque enim novem, sed sex tantum litteras intercidisse apparet: itaque haec meae coniecturae haud quaquam adversantur. Deinde exemplum Ancyranum exhibet . . . *ΟΤΟΝΗΘΩΙ*, Apolloniense *ΧΕΙΡΟΤΟΝΗΘΩΝ* miro sane erroris consensu, nam coniunctivus verbi *χειροτονηθῶ(ι)* ab hoc loco plane alienus; nec tamen probabilis Kirchhoffii coniectura *ἐχειροτονήθην*, nam *Η* et *Ω* quantum maxime distant. Scripsi igitur *χειροτονητῶν*, id pariter in Galatia et in Pisidia corruptum esse quamquam mirum, non tamen inexplicabile, barbarorum enim est perperam aspirare [1]). Novissima ut potui redintegravi: nam in exemplo Ancyrano haec fere comparent elementa:

Μ / / / Π Λ / / / / / Τ / / Ρ / Η

sed quot litterae interceptae sint, satis incertum. *Εἰς πέντε ἔτη* ut scriberem effecit Dionis Cassii auctoritas, qui et a. 735 et rursus a. 742 hanc curam Augusto in quinquennium mandatam esse memoriae prodidits. Sane quod de prima vice dicit, fallitur, siquidem ipse Augustus testatur statim proximo anno 736 sibi eandem curam iterum fuisse demandatam, itaque videtur morum regimen primo in annum recepisse, sed a. 736 et rursus a. 742 nihil obstat, quominus credamus in quinquennium hoc officium Augusto iniunctum fuisse: sed exacto hoc altero quinquennio, hoc est a. 748 curam denuo sibi oblatam recusavit. Levis igitur Dionis error, qui primam officii huius vicem cum secunda, cuius omnino non facit mentionem, confudit; Suetonius autem cum morum legumque regimen perpetuum fuisse dicit, fortasse in hunc errorem incidit, quod a. 735 rogatio in hanc sententiam, ut videtur, facta est, sed Augustus callida modestia sua usus recusavit.

---

1) De permutatione litterarum *Τ* et *Θ* Franzius El. Epigr. p. 249 autestatur Walpolium in itinerario p. 601 disserentem, sed exempla quae ille affert vel veteris Boeotorum dialecti sunt, quae *Θ* substituit, ubi *Τ* prope ad similitudinem litterae *Σ* enuntiabatur, vel satis incerta. Sed in hoc ipso monumento Ancyrano XIV, 4 *ΧΑΘΩΣ* haud dubie scriptum pro *ἔσχατος*.

Etiam ea quae subsequuntur Graecae tantum interpretationis auxilio servata sunt, ubi quod legitur *καὶ ταύτης αἰτῆς τῆς ἀρχῆς* puto *αὐτῆς* ex prono operarum ortum esse errore, cum *αὐ* incidi oportuisset.

Augustus tribuniciae potestatis collegam Agrippam bis (a. 736 et a. 741) in quinquennium, Tiberium semel in quinquennium (a. 748), bis in decennium (a. 757 et 766) assumpsit; sed dissentit Suet., qui Tib. 16 dicit a. 757 Tiberio trib. potestatem datam esse in quinquennium, non in decennium (ut Dio LV, 13, idque indicis verba quamvis oblique testificantur), sed multo apertius indici adversatur Suet. Aug. 27: *tribuniciam potestatem perpetuam recepit, in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptavit.* Et hunc quidem locum Mommsenus vitiatum existimans ita supplevit *collegam [M. Agrippam, Tiberium ter per singula lustra collegam] sibi cooptavit.* Sed non placet haec emendatio, quandoquidem ne ita quidem Suetonii narratio cum rerum veritate congruit; nam si secundum Suetonium cum Tiberio per singula lustra communicata est trib. potestas, non ter sed quater Augustus eum collegam ascivit, a. 748. 757. 762 et 767 (766) [1]. Mihi quoque locus de vitio suspectus, nam scriptorem diligentem et eruditum praesertim in re non solum gravis momenti, sed etiam satis illustri a vero tantopere aberravisse non est credibile [2]: Suetonius scripsisse videtur: *semel atque iterum [per decennium, ter] per singula lustra collegam sibi cooptavit.* Sed hoc si probaveris, etiam alter locus emendatione eget; ut Suetonius sibi constet, Tib. 16 scribendum: *data rursus tribunicia potestas in decennium*, quod semidoctus librarius videtur immutavisse, memor eorum quae supra c. 9 scripsit Suetonius: *interpositoque tempore consul iterum etiam tribuniciam potestatem in quinquennium accepit.*

---

1) Fortasse aliquis existimet secundum Suetonium Tiberio bis datam esse per quinquennium (a. 748 et 757), denique a. 762 in perpetuum, sed ejusmodi conjectura omni auctoritate destituta, atque vel sic aliter atque Mommseno visum est Suetonii locus redintegrandus foret.

2) Agrippam et Tiberium ab Augusto in tribuniciae potestatis societatem cooptatos esse notissimum; cf. Tac. Ann. III, 56: *Id (trib. pot.) summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret; Marcum deinde Agrippam socium ejus potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret.* Agrippa mortuus a. 742, Tiberius primum a. 748 hoc honore ornatus; iterum ac tertium delatum honorem 757 et 766 attigit Tac. I, 3: *filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur:* sed quod scripsit I, 10: *Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem ascitum, sed quoniam adrogantiam saevitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse: etenim Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quae velut excusando exprobraret,* hoc referendum est ad a. 757; nam de novissima vice a. 766 anno ante Augusti decessum non poterat Tacitus scribere *paucis ante annis*, atque Tiberii purgatio, quam Tacitus invidiose ut solet detorquet, illi magis quam huic tempori conveniens videtur. Ceterum Agrippae tribunicia potestas quando in titulis memoratur, non videtur anni numerus additus fuisse, nam in titulo Laconico (Orelli III. 5367) supplementum non est admittendum.

Sane hic ipse locus ambiguitate quadam laborat, nam videntur verba significare eodem anno, quo Tiberius iterum consul fuerit (747), datam ei esse trib. potestatem, id quod ceteri anno post (748) factum esse tradunt [1]. Sed ipse Suetonius infra 11 annum 748 testificatur; narrat enim Tiberium damnata Julia (h. e. anni 752 posteriore parte) frequentibus litteris pro uxore deprecatum esse, transacto autem tribuniciae potestatis tempore petiisse, ut sibi permitteretur Romam redire: transactum autem hoc quinquennium, si initium cepit a. 748, die 26 m. Junii a. 753; si delatus fuisset hic honor Tiberio consuli II (747), jam eo tempore, quo damnata est Julia (anni 752 aestate), dęposuisset hunc honorem [2].

Etiam hoc caput A. W. Zumptius in commentatione, quam supra dixi, sub examen vocavit, isque auctor est, ut Graeca ita restituantur:

τῆς [συ]νκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν
Ῥωμαίων ὁ[μογνωμονο]ύντων [ἐπανωρθω]τὴς
τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρό[πων σὺν τῇ με]γίστῃ
ἐξουσίᾳ] χειροτονηθ[εὶς] ἀρχὴν οὐδε-
μ[ίαν] πα[ρὰ τὰ πά]τ[ρια ἤθ]η διδομένην ἀνεδε-
ξάμην.

ubi certe *ἔθη* scribendum erat. Eadem in latinum sermonem transtulit, sed ea adscribere supersedeo, quandoquidem haec pars latini indicis in lapide prorsus oblitterata est. Restituto participio *χειροτονηθεὶς* Zumptius haec

---

1) Etiam Vell. II, 99 transacto consulatu altero Tiberium trib. potestatem accepisse testatur.

2) Memorabilis titulus apud Orell. III, 5375 Saepini repertus, cujus murum portas turris Tiberius restituit, suo fratrisque Drusi jam defuncti nomine: nam Tiberio ibi TRIB. POTEST. $\overline{V}$ tribuitur, siquidem recte Mommsenus lapidis frustulum, in quo numerus $\overline{V}$ legitur, adjunxit, i. e. a. 752/3 (nam Mommsenus et Henzenus nescio quo pacto a vero aberrant), igitur Rhodi exul Tiberius hoc opus faciendum curavit. Neque enim admittenda est conjectura post V versu extremo unum alterumve elementum oblitteratum esse, ut Tiberius trib. pot. VI vel VII h. e. post secessum Rhodiensem opus dedicaverit; nam titulus incisus est antequam Tiberium adrogavit Augustus: eodem autem temporis puncto et adoptavit et collegam tribuniciae potestatis assumpsit. Namque in Fastis Amit. dies VI Kal. Jul. est NP propter ferias, *quod eo die Augustus adoptavit filium Tiberium Caesarem* a. 757, proximo autem die (h. e. V Kal. Jul.) tribuniciam potestatem VI auspicatus est, quae potestas tunc iterum in decennium erat delata. Cf. Vellej. II, 103: *ut et tribuniciae potestatis consortionem Neroni constitueret . . . et eum Aelio Cato, C. Sentio consulibus V Kalendas Julias . . . adoptaret.* ubi Mommsenus *VI Kalendas Julias* corrigendem censet, librarium peccavisse ratus; sed potuit ipse scriptor multis annis post immemor ordinis rerum gestarum adoptionem transferre in diem nobilissimum, a quo tribunicia potestas inchoari solebat. Sed consulto tunc institutum, ut arrogatione demum rite peracta Tiberius consors fieret trib. potestatis; neque vero utraque solennitas eodem die commode peragi poterat. Illud addo Henzenum hic quoque ut alias non satis cum cura Mommseni exemplum repetivisse (I. N. 4922), nam post numerum V de suo addidit IMP. praeter necessitatem, et neglexit post TVRRIS complures litteras detritas, quas Mommsenus, cum in alius exempli frustulo VRRIS D legatur, recte videtur restituisse [D. S.] F. C.

cum iis, quae proxime subsequuntur, in unam sententiam conjunxit, atque ita sibi videtur germanam speciem hujus capituli recuperavisse, non animadvertens, se clavum clavo trudere. Secundum Zumptium Augustus, postquam lex senatu populoque consentiente ea de re perlata erat, populi suffragiis corrector legum et morum cum maxima potestate creatus est, neque tamen usus est ea potestate, sed quidquid nimium erat et a veteris reipublicae forma recessit, repudiavit, atque quae administranda erant, tribunicia potestate contentus perfecit. Quod si Augusto nimia illa potestas videbatur, modesti principis erat legem, antequam perferretur, temperare, vel potius plane detrectare delatum sibi morum regimen: nam si quae agenda erant tribuniciae potestatis jure administravit, illo magistratu omnino non fuit opus. Sed qui cognoscere velit, quibus machinis Zumptius incredibilia haec commendare ac munire, quibus artibus sua supplementa cum Suetonio et Dione conciliare conatus sit, illam adeat commentationem. Equidem tueor conjecturam de restituenda Graeca interpretatione jam antea propositam et hic iteratam, quam non ignoravit Zumptius, sed simulat se non intelligere, quandoquidem latinam interpretationem non adjecerim. At verba, quemadmodum refinxi, et bene graeca et satis perspicua sunt, ut latina interpretatione facile carere possis. Quod Zumptius dicit non ferendum esse, Augustum, qui morum curam repudiaverit, curatorem morum populi suffragiis creatum esse, aperte ludificatur et calumniatur: namque ter Augustus magister morum creatus summaque hac potestate functus est, sed cum senatus denuo hanc curam principi deferret, detrectavit magisterium et tribunicia potestate contentus peregit, quae administranda fuerunt.

Cap. VII.

Ex tenuibus vestigiis residuis recuperavi verba latini exempli, graecam interpretationem, quae salva et incolumis extat, secutus:

P. I, 43. [Triumvirum fui reipublicae constituendae decem annis continuis; prin-]
44 [ceps senatus ad eum diem, quo scripsi haec, c]IR[citer quadraginta annis;]
45 [pontifex maximus, augur, quindecimviru]M SACRI[s faciundis, septemvi-]
46 [rum epulonum, frater arvalis, sodalis Ti]TIV[s, fetialis.]

Omnes honores, qui hic enumerantur, ab eodem verbo *fui*, quod in principio posui, suspensi sunt; Graecus interpres secundum enuntiatum liberius conformavit, *πρῶτον ἀξιώματος τόπον ἔσχον* scribens, itaque oportebat eum deinde scribere *ἀρχιερεὺς ἤμην*, sed hoc verbum addere oblitus est, quoniam in latino exemplo deerat: hoc ipsum igitur indicio est, me commentarii verba recte restituisse. Ac nunc demum video etiam Mommsenum fere ad eundem modum p. LXX haec supplevisse.

P. I, 42 *δημοσίων πραγμάτων κατορθωτὴς* metaphrasta non ineleganter

scripsit, in epistola Antonii et in SC quod subsequitur (C. In. Gr. II, 2737) vocantur *τρεῖς ἄνδρες τῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων διατάξεως*, item in Antonii epistola apud Josephum A. Jud. XIV, 12, 5: *τριῶν ἀνδρῶν καταστάντων περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων*. Appian. B. C. IV, 8 scripsit *οἱ χειροτονηθέντες ἁρμόσαι καὶ διορθῶσαι τὰ κοινά*, Dio C. XLVI, 55: *κοινῇ μὲν τοὺς τρεῖς πρός τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων ἐπιμελητάς τε τινὰς καὶ διορθωτὰς . . . ἐς ἔτη πέντε αἱρεθῆναι.*

P. I, 44 in lapide nihil nisi IR superest, i. e. c*IR*citer, nam inter a. 726—767 anni exacti sunt quadraginta et menses complures: *annis* scripsi, non *annos*, quemadmodum de Pericle dixit Cicero de Or. III, 34 *quadraginta annis praefuit Athenis*. Mommsenus proposuit: *princeps senatus usque ad eum diem, quo scr*]IP[*si haec, per annos quadraginta.*

P. I, 45 apud Perrotum est MMORI, sed prima littera evanida, altera M fuit haud dubie SA, quod etiam Mommsenus vidit. — P. I, 46 in lapide legitur TVI, in quo censebam *fe*TIA*lis* delitescere loco maxime ut videbatur congruente, nam apud Perottum est:

IR
M MORI
TVI

sed nunc assentior Mommseno, qui vocem *Ti*TIV*s* ibi deprehendit.

Cap. VIII.

P. II, 1. In graeca interpretatione cum traditum sit \THI, malui [*δόγμ*]*ατι τοῦ τε δήμου καὶ τῆς συνκλήτου* scribere quam [*γνώ*]*μῃ*. Dio C. LII, 42 tantum senatus auctoritatem memorat, idem (XLIX, 43) refert jam a. 721 patricios ab Augusto allectos esse, quod tanquam fide indignum rejecit Mommsenus. Sane Dio quamvis diligens auctor erroris non omnino immunis est, sed plerumque indagare licet, quid eum in errorem induxerit, neque vero temere quidquam commentus est; itaque existimandum est, eum ejus rei memoriam apud alios auctores a. 721 traditam repperisse. Patriciorum numerus cum jam novissimo rei publicae tempore valde esset imminutus, neque Caesar multas gentes (in quibus Octavia fuit) allegisse videatur, facile poterat Augusto necessitas augendi patriciorum numeri obvenire, si quando sacerdotia erant demandanda: namque princeps callidus et prudens sacra a majoribus tradita religiose tuebatur, et quamvis in ista rerum confusione ei liceret in locum patriciis hominibus destinatum etiam plebejum cooptare, maluit in hac quoque re majorum morem observare [1]). Constat autem ipsum Augustum a. 722, cum bellum Cleopatrae indicendum esset,

1) Nonnulli, velut Langius (An. Rom. I, 247) existimant per omne tempus solos patricios in fetialium collegium cooptatos esse, sed haec opinio nulla idonea auctoritate nititur; verisimile est ex parte dimidia tunc fetiales patricios factos esse, cf. Cicero pro domo 14.

patris patrati officio functum esse [1]; fortasse igitur jam anno proximo priore 721, cum belli contra Antonium gerendi necessitas immineret, collegio fetialium supplendo prospexerat, neque vero de numero patriciorum augendo populum rogavit, sed satis habuit ad senatum referre [2]. In indice hujus rei memoriam praetermisit Augustus, quoniam paucae tantum gentes videntur allectae esse [3], neque satis legitime tunc res transacta est.

P. II, 2. Copulam *et* alienam esse a principio hujus enuntiati recte animadvertit Mommsenus, neque graecus interpres reperit, verum non est delenda, sed trajicienda:

In consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi, *et* lustrum post annum alterum et quadragesimum feci.

nam ut illo loco importuna est convinctio, ita hic aegre ea caremus. Primum hunc censum Mommsenus dicit p. 23 Augustum consulem, secundum et tertium consulari cum imperio egisse: fuit sane Augustus a. 725 consul V collega S. Appulejo, a. 726 consul VI collega M. Agrippa, (nam per hos duos annos actus est census), verum censum lustrumque fecit censoria potestate, cujus etiam Messala consors fuit, ut testificantur Fasti Venusini (C. In. L. I, p. 469.), ubi a. 726 haec leguntur:

IMP. CAESAR. VI. M. AGRIPPA. II.
IDEM. CENSORIA. POTEST. LVSTRVM. FECER.

Suet. vit. Aug. 27 census ab Augusto actos ad morum regimen rettulit: *recepit et morum legumque regimen aeque perpetuum, quo jure quamquam*

---

1) Dio C. L, 4: *καὶ πρὸς τὸ Ἐνυεῖον ἐλθόντες πάντα τὰ προπολέμια κατὰ τὸ νομιζόμενον διὰ τοῦ Καίσαρος, ὡς καὶ φητιαλίου, ἐποίησαν.* Augusto patris patrati vices tribui, neque obstant quae Rubino (Untersuch. über d. röm. Verf. p. 172 seq. Vorgesch. Ital. 188) ea de re disputavit, qui quidem contendit non semper patrem patratum e collegio fetialium fuisse. Augustus etiam postea videtur hoc collegium adhibuisse, quamquam nihil ea de re proditum est, nam Antistii Veteris nummi (cusi circa a. 738), in quibus legitur *foedus P. R. cum Gabin.*, veterem memoriam renovant in honorem Antistiae gentis, quae Gabiis oriunda fuit, vid. Dionys. IV, 57. Quod Sueton. Aug. 21 narrat, principem quorundam barbarorum principes in aede Martis jurare coegisse, mansuros se in fide ac pace quam peterent, fetiales adhibitos esse verisimile est. Claudium vero constat, ut Suet. Claud. 25 refert, cum regibus foedus in foro icisse porca caesa ac vetere fetialium precatione adhibita. Sed cave fidem habeas Mommseno R. Chron. 318, qui fetialium carmen, quo Romani Hermundulis bellum indicunt, rettulit ad Tiberii expeditiones per Germaniam inde ab a. 757 factas, carmen illud fictum a Cincio (Gell. XVI, 4) ratus: mihi tam germanum videtur, quam jus jurandum militare anni 564, quod idem Cincius adscripserat. Conjicias carmen belli indicendi ad proximum priorem annum 563 esse referendum, ut populus Hermundulus fuerit in Gallia cisalpina socius Boiorum, de quibus Cornelius Scipio consul ejus anni triumphavit: ac fortasse Hermunduli Germanica potius quam Celtica stirpe oriundi fuerunt, quemadmodum a. 532 de Gallis Insubribus et Germanis est triumphatum.

2) Dio certe XLIX, 43 dicit *ψηφισαμένης τῆς βουλῆς*, quamquam is similiter de altera allectione refert, ipso Augusto adversante.

3) Dio *τινὰς εἰσήγαγεν* scripsit, sed de altera vice: *τὸ τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυνε.*

sine censurae honore censum tamen populi ter egit, falsus omnino; nam neque regimen perpetuum recepit Augustus, neque ex hujus curae auctoritate censuit populum Romanum; sed complures senatus recensiones ad hanc potestatem revocandas esse recte existimat Mommsenus p. 21.

P. II, 5—8 in graeca interpretatione addidi copulam [*τρεῖς μυριάδες καὶ τ*]*ρισχίλιοι*, quae non solet abesse.

P. II, 10: *Quo lustro ce*[*nsa sunt civium Ro*]*manorum capitum*, supra II, 3 legitur *civium Romanorum censa sunt capita*, etiam II, 6 *censa sunt civium Romanoru*[*m capita*] interstitio supplendo prorsus sufficit; utraque structura probabilis, ac patrius casus etiam frequentius adhibetur, verum hic geminatio ejusdem casus molesta; fortasse non ipse Augustus orationem variavit, sed scriba.

P. II, 12 Mommsenus scripsit:

> Legibus novi[*s latis et reduxi multa e*]xempla maiorum exolescentia iam in nost[*ra civitate, et ipse proposui*] multarum rer[*um exe*]mpla imitanda pos[*teris.*]

adiutus graeca interpretatione, quae integra servata est: *εἰσαγαγὼν καινοὺς νόμους πολλὰ ἤδη τῶν ἀρχαίων ἐθῶν καταλυόμενα διωρθωσάμην καὶ αὐτὸς πολλῶν πραγμάτων μείμημα ἐμαυτὸν τοῖς μετέπειτα παρέδωκα*, nisi quod *ΕΙΣΑΓΑΓΟΝ* et *ΔΙΟΡΘΩΣΑΜΗΝ* scriptum: et in hujus quidem locum nescio an *ἀνωρθωσάμην* substituendum sit, nam *ΑΝ* et *ΔΙ* saepius confusa. Neque vero latina graecis satis conveniunt: secundum graecum interpretem Augustus insignem sui confidentiam prae se fert, apud Mommsenum oratione modesta et valde ambigua utitur: atque ipse Mommsenus longe aliter verba latina, quemadmodum instauravit, interpretatus est, quam graecus metaphrasta: nam existimat Chishullo auctore hunc locum illustrari Suetonii testimonio vit. Aug. c. 89: *in evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur, quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.* at levioris hoc momenti, neque verisimile Augustum id in hoc commentario mentione dignatum esse. Itaque diligentissime vestigia graeci interpretis legens, hunc locum ita conformandum censeo:

> Legibus novi[*s latis multa revocavi e*]xempla maiorum exolescentia iam ex nost[*ra civitate, et ipse de me*] multarum rerum exempla imitanda pos[*teris tradidi.*]

Revocavi nunc dedi, quemadmodum priores, cf. praeter Horat. Carm. IV, 15, 12: *et veteres revocavit artes, per quas Latinum nomen et Italae crevere vires, famaque et imperi porrecta majestas ad ortum solis ab Hesperio cubili*, Suet. Aug. 24: *iure militari et commutavit multa et instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit*, antea *renovavi* scripseram. Quod conjectura restitui *de me . . . exempla imitanda . . . tradidi*, plane gemino exemplo firmare nequeo; nam quod in proverbio est *de manu in*

manum tradere (Cic. ad Div. VII, 5 [1]), cf. etiam Suet. Tib. 34 *consuerat quadruplam strenam et de manu reddere*) huc non quadrat, sed commode componas, quod Terentius scripsit And. IV, 1. 27: *quid istuc tam mirumst, de te si exemplum capit*, ubi Donatus mirum in modum fluctuat [2]), immemor poetam hunc similiter in Ad. III, 3, 62 dixisse: *atque ex aliis sumere exemplum sibi.* Item Plautinus versus Most. 773 *de exemplo meo ipse aedificato* adhibendus; quae ibidem 762 leguntur in loco pessime habito, quem non expedivit Ritschelius, in hunc modum corrigo:

Nunc hinc exemplum capere volt, nisi tu nevis.
Ne ille *ex maligno hinc opere aestu* exemplum petit.

vel potius, quoniam hic verborum ordo, quem libri tuentur, non solum insolentia sed etiam ambiguitate offendit,

Ne ille *ex maligno aestu opere hinc* exemplum petit.

nam Simo, ut servum deterreat, dicit aedes aestate esse insalubres: ac nunc demum ea quae subsequuntur ordine procedunt.

Cap. IX.

Loci graviter mutilati restitutio nunc demum successit, ubi graecam interpretationem nacti sumus, quamquam etiam nunc passim haeremus, quandoquidem interpres nonnulla licentius vertit. P. II, 15 *pro salute mea* scripsi, Mommsenus *pro valetudine mea*, quemadmodum est infra II, 19; metaphrasis sane utroque loco ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας, neque tamen hoc permagni momenti est, nam utrumque latinum vocabulum graeco hoc verbo permutari licuit. Equidem *pro salute* praetuli, quoniam in SC de ludis saecularibus *ludi pro salute Caesaris* nuncupantur, pariterque Plin. H. N. VII, 158 *ludos pro salute divi Augusti votivos* dicit, de anno 762 verba faciens, ut eosdem intelligendos esse manifestum sit: alteram quidem appellationem tuentur Antistii Veteris nummi a. 738 cusi, in quibus scriptum est: *pro valetudine Caesaris s. p. q. R.* quemadmodum alias quoque haec duo vocabula promiscue adhibentur, quamquam in Aciliae gentis denariis, in quibus et Salutis et Valetudinis simulacrum comparet, dirimi videntur [3]).

---

1) *Totum denique hominem tibi ita trado de manu ut ajunt in manum tuam istam et victoria et fide praestantem*, qui quidem locus satis redarguit Ritschelium in Plauti Trinummo 902: *e manibus dedit mihi ipse in manus* pronomen *mihi* expungentem, quod vocula deleta concinnior fiat oratio.

2) *Utrum si te imitatur, an si de te exigit poenas, ut ipse alibi: uterque exempla in te edent, sed melius te imitatur accipimus.*

3) Pro valetudine populi Romae peste grassante saepius supplicatum est, sed nominatim hic honos primo Pompejo est habitus, cum in Campania gravissima valetudine tentaretur, tunc enim *universa Italia vota pro salute ejus, primi omnium civium, suscepit* ut Vell. II, 48, 2 scribit, more suo rem exaggerans, nam Campaniae tantum civitates videntur haec vota fecisse, meritoque Cicero hanc Graeculorum hominum adulationem castigat Tuscul. I, 35; quamquam Dio quoque XLI, 6 dicit πάσας ὡς εἰπεῖν τὰς

Quae sequuntur aegre in integrum restitui possunt, quandoquidem graeca interpretatio in arctum redacta nihil suppeditat, nisi *ἐκ τούτων τῶν εὐχῶν πλειστάκις ἐγένοντο θέαι, τότε μὲν ἐκ τῆς συναρχίας τῶν τεσσάρων ἱερέων* (haec homo graecus perperam interpretatus est, numero non ad collegia, sed ad sacerdotes relato,) *τότε δὲ ὑπὸ τῶν ὑπάτων.* In primis emendatione eget VIVO, quod legitur v. 17 extremo, quodque ineptum esse jure animadvertit Mommsenus, de integrando hoc loco desperans. Tentavi hunc locum jam antea [1]), nunc vitium manifestum minore ac magis probabili medela procurari posse credo. Solus Perottus VIVO addit, diligens ille quidem ac locuples auctor, sed potuit etiam is quandoque falsa specie decipi. Consentaneum autem est litteras has, quae priorum aciem penitus fugerunt, detritas et obscuras esse. Itaque scripsi:

[*ex quibus*] votís s[*aep*]e fecerunt [*q*]vinq[*v*-]
[*ennalis ludos sacerdotu*]m quattuor amplissima colle-
[*gia vel consules ejus anni.*]

Cum scriptum esset QVINQV prima et novissima littera detrita, reliquae

---

ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλεις σωτήρια αὐτοῦ δημοσίᾳ θύσειν εὔξασθαι, hinc Iuvenalis X, 284: *sed multae urbes et publica vota vicere*, quod Rhunkenius non satis prospere tentavit, quamquam sane *multae* displicet, in cujus locum possis *mille* substituere, sed poeta argutus fortasse *mutae* scripsit, h. e. linguis faventes, dum vota fiunt publice. Sub imperatoribus hae supplicationes pro salute vel valetudine principum pervagatae, in primis illustre exemplum suppeditat Tacit. Ann. III, 64, narrans a. 775, cum Livia aegrotaret, supplicia diis ludosque magnos a senatu decretos esse, quos pontifices et augures et quindecimviri una cum septemviris et sodalibus Augustalibus ederent: nam quod Apronius censuit, ut fetiales quoque iis ludis praesiderent, Tiberius recusavit, nunquam enim hoc majestatis ei sacerdotio fuisse.

1) Conjeci scribendum esse:

[*Ex quibus*] votís s[*aep*]e fecerunt *Veiovi* [*et Apollini ludos vel sacerdotu*]m quattuor amplissima colle[*gia vel consules eius anni.*]

Apollini enim hos ludos dicatos esse testificantur nummi, quos Mommsenus adhibuit. Ad ludos hos a. u. 726 primum instauratos referendum Horatianum carmen I. 21, de cuius carminis tempore indagando valde dissentiunt, ut fieri solet, grammatici nostri; verum hic quoque assecutus est Frankius in Fastis Horatianis p. 163, inprimis poematis clausula usus, ubi haec de Apolline praedicantur:

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo, principe Caesare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Apollini autem Veiovem addere sum ausus, cuius nomen ad Perroti scripturam VIVO proxime accedit: hunc enim deum averruncum et iuvenili specie insignem et sagittis instructum Apollini assimilaverunt, vide Gell. V. 12, 11: *simulacrum igitur dei Vediovis, quod est in aede, de qua supra dixi, sagittas tenet, quae sunt videlicet partae ad nocendum; quapropter eum deum plerumque Apollinem esse dixerunt, immolaturque isti ritu humano capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat.* adde Preller Myth. Rom. p. 235. ed. I. Numen autem huius dei a Julia gente religiose cultum esse testatur titulus arae Bovillis repertae C. Inscr. Lat. 807: VEDIOVEI PATREI GENTEILES IVLIEI.

vocis VIVO simulacrum praebent. Littera I grandiuscula etiam in cognato vocabulo QVINTVM comparet p. III, 1. Sane hoc ipsum vocabulum erat sic dispertiendum, quemadmodum III, 2. 3 QVIN-QVENNIVM legitur, sed alias quoque hujus licentiae exempla deprehenduntur, velut in aere Malacitano I, 34 QV | AE, V, 41 QV | EM et V, 57 QV | OS; nam quod in aere Salapensano I, 39 legitur QVINQ verbo non perscripto, facilius etiam condonabitur. Graecus interpres vocabulum *quinquennalis*, quod addidit Augustus sedulo curans, ne oratio obscuritate laboraret [1]), plane praetermisit; idem cum non intelligeret *in vicem* ad solos sacerdotes pertinere, quibus ἐκ περιτροπῆς ut Dio dicit ludorum cura demandata fuit, ad vicissitudinem consulum et sacerdotum rettulit ac satis inprospere τότε μὲν . . . τότε δὲ vertit.

Vota haec pro salute Augusti ut par est quinto quoque anno iterata sunt, sed ludos quandoque intermissos esse indicio est adjectum *saepe* (πλειστάκις), credo quod nemo repertus est, qui grandem impensam in se reciperet. Ludos hos votivos primum a. 726 ediderunt Augustus et Agrippa consules ejus anni (Dio C. LIII, 1), sumptum senatus et Agrippa videntur suppeditavisse; nam Augusto, in cujus honorem ludi instituti sunt, non licuit liberalitatem suam expromere. A. 738, cum ludorum cura ad XV viros pertineret, Agrippa pro collegio, cui ipse adscriptus fuit, impensam sustinuit (Dio C. LIV, 19), absens ille quidem: nam in transmarinas provincias profectus erat. Prioribus ludis senatum partem sumtus erogavisse ostendit SC. de ludis saecularibus a. 737 factum, in quo haec leguntur: *quos pro salute Caesaris fecerunt lucaris nomine cons . . .* Ludos qui hoc loco fecisse dicuntur non sunt XV viri, nam hi proximo demum anno 738 ediderunt, neque consulum vocabulum latet in truncato vocabulo novissimo, sed pontifices et augures intelliguntur, qui a. 730 et 734 curaverunt; videtur autem locus in hunc fere modum refingendus: *in summa constitu[enda eadem liberalitas expromatur, qua sacerdotibus ad ludos], quos pro salute Caesaris fecerunt, lucaris nomine con[stituta est pecunia, utique consules praetoribus aerar]ii imperent, uti eam pecuniam dandam attribuendam [XV viris sacr. faciund. curent.]*

Ludi hi votivi per complures dies continuati non solum fuere circenses et amphitheatrales (Dio C. LIII, 1.) [2]), sed etiam scaenici, ut SC. de ludis saec. arguit, unde discimus senatum lucaris nomine pecuniam his ludis celebrandis constituisse [3]). Ludi quo anni tempore celebrati sint ignoro: Dio

---

1) Suet. Aug. 86: *praecipuam curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere: quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque praepositiones urbibus addere, neque conjunctiones saepius iterare dubitavit, quae detractae aliquid afferunt obscuritatis, etsi gratiam augent.*

2) Adde Suet. Aug. 44: pontificales ludi, quos dicit, aut a. 730 aut 750 fuerunt.

3) Confirmat Plin. H. N. VII, 158.

quidem C. LIV, 19 memoriae prodidit editos esse a. 738, postquam Augustus in Galliam profectus sit, sed quo tempore hoc iter susceperit, non satis constat. Existimant (vid. Fischer Röm. Zeittaf. 403) Augustum statim ineunte aestate Romam reliquisse, quod quidem parum verisimile, siquidem Lollianae cladis nuntius principem ab urbe in Galliam vocavit. Germanorum incursiones cum in illud ipsum tempus incidisse consentaneum sit, Augustus adulta demum aestate videtur profectus esse; atque convenit, quod Dio dicit, antea Augustum Quirini aedem dedicasse, quod die 29 m. Junii factum esse existimant, sed quaestionem perdifficilem non licet hoc loco enodare [1]). Item incerti momenti est, quod Augustus tribunicia potestate VIII, quam auspicatus est die 27 m. Junii 738, pecuniam in aerarium detulit, ex qua viae munitae sunt; nam potuit etiam absens hanc liberalitatem expromere [2]). Ludos hos votivos Dio LIII, 3 dicit *πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένῃ ψηφισθεῖσαν*, item LIV, 19 *πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς Αὐγούστου* [3]). Sed quominus sollennia haec complurium dierum spectacula die 2 m. Septembris, quo pugnatum est apud Actium, et insequentibus vel eo die, quo nuntius de victoria Romam adlatus est [4]), edita esse credamus, prohibent ludi Romani inde a die 4 usque ad 19 m. Sept. magno apparatu quotannis celebrati. Veri simillimum videtur ludos hos quinquennales editos esse die 14 m. Augusti, quo die a. 725 Actiacum triumphum

---

1) V. Mommsen ad C. I. L. I, p. 395; cui non assentiendum censeo, cum Dionem erravisse existimat templi dedicationem ad a. 738 referentem, quae jam ante a. 727 dedicata sit.

2) Mommsenus p. 43 dubius haeret, utrum a. 738 an paullo ante hanc detulerit pecuniam. Ac Vinicii sane nummi facti 738/9 (AVGVSTVS TRIB. POT. VIII), in quibus scriptum est S. P. Q. R. IMP. CAES. Q(*uod*) V(*iae*) M(*unitae*) S(*int*) EX EA P(*ecunia*), Q(*uam*) IS AD A(*erarium*) DE(*tulit*), nihil decernunt, nam poterat etiam prioris alicujus anni liberalitas praedicari. Sed Augustum tribuniciam pot. VIII agentem (738/9) viis reficiendis operam dedisse ostendit cippus repertus in Via Salaria (Bulletino 1831, p. 139, cf. ib. 219) IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. COS. XI TRIBV. POTEST. VIII EX. S. C. XCVIIII. Sed eam curam recepit jam tribun. pot. proxima priore (737/8), si fides est cippis duobus Viae Appiae (Insc. R. N, 6283), in quibus eadem leguntur, sed TRIB. POTEST. VII, nisi forte describentes aberraverunt. Denique alius cippus viae latinae (ib. 6245) ejusdem haud dubie temporis est, sed trib. pot. numerus detritus, cum quo titulo minus recte Mommsenus composuisse Casinatem 4229 videtur. Augustus igitur anno 737 vel 38 ex senatus decreto vias reficiendas recepit, et cum publicae opes deficerent, sua pecunia aerarium juvit, pro quo merito S. R. Q. R. honores decrevit, quos nummi repraesentant.

3) Adde etiam Dio C. LI, 19: *ἐπὶ τῆς ναυμαχίας νίκῃ . . . ἐψηφίσαντο . . πανήγυρίν οἱ πενταετηρίδα ἄγεσθαι.*

4) Hic dies quod sciam non est memoriae proditus, sed a die 2 m. Sept. non ita magno intervallo diremtum fuisse consentaneum. Senatum ferias in hunc diem indixisse auctor est Dio C. LI, 19, neque vero Augustus omnes honores tunc sibi decretos admisit. (Dio C. LI, 20.)

egit Augustus, et insequentibus diebus; atque Actio Apollini vota haec suscepta esse ostendit Mommsenus.

A votivis his ludis quinto quoque anno celebratis omnino dirimendi sunt ludi votivi quotannis editi pro reditu Augusti. Dio C. auctor est senatum decrevisse diem, quo Augustus ex bello Actiaco in urbem esset rediturus, anniversario sacrificio honorandum [1]), neque vero de hac solennitate cogitandum, sed hi ludi instituti sunt propter vota, quae a. 738 suscepta sunt pro reditu Augusti ex Gallia: nam cum sub ipsum profectionis tempus Juventutis aedes incendio esset consumta et alia dira omina obvenissent, ut Dio C. LIV, 19 refert, *εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου ἐποιήσαντο*. Huc spectant nummi ipsius Augusti (Cohen n. imp. I, 67), in quibus legitur *vota p. susc. pro sal. et red.*, et Mescinii Rufi (qui anno 738 trium virum monetalium fuit, vid. Mommsen Röm. Münzw. 742), in quibus scriptum est (Cohen I, 81) S. P. Q. R. V. S. P. RED. CAES. vel auctius P. S. ET. R. AVG. i. e. *votum suscepit* (non *solvit*) *pro salute et reditu.* Cum a. 741 Augustus rediret, senatus aram Pacis Augustae in Campo Martio pro reditu consecrandam censuit, in qua ara magistratus et sacerdotes virginesque Vestales anniversarium sacrificium facerent, ut ipse Augustus in indice II, 37 seq. testificatur. Marti enim haec vota suscepta fuerunt, itaque in illis nummis Martis statua conspicitur, in cujus basi ille titulus scriptus est [2]). Sed praeterea ludi votivi in ejus rei memoriam per consules edebantur, quos primum fecerunt a. 741 Quintilius Varus et Tiberius consules ejus anni, ut testatur titulus apud Orellium I. 599; [*P. Quintilius S*]*ex. F. Varus cos.* [*ludos votivos pr*]*o reditu* [*Imp. Caesaris Div*]*i F. Augusti* [*Jovi optimo m*]*aximo fecit* [*cum Tiberio Claudio Ner*]*one conlega* [*ex S.*] C. Anno autem 747, cum Tiberius iterum consulatum gereret collega Calpurnio Pisone, cum ipsi in Germaniam proficiscendum esset, Gajo eam curam mandavit [3]); extat autem hodieque Tiberii titulus (Orelli I, 599): *Ti. Claudius Ti. F. Nero Pontifex cos. iterum imp. iterum ludos votivos pro reditu imp. Caesaris Divi F. Augusti pontificis maximi Jovi optimo Maximo fecit ex S. C.* Votivi hi ludi quod Jovi dicati sunt, explicandum ex arcta Jovis et Juventutis necessitudine, cujus aedem a. 738 conflagratam postea restituit

1) Dio C. LI, 20: *τήν τε ἡμέραν, εἰ ᾗ ἂν ἐς τὴν πόλιν ἐσέλθῃ, θυσίαις τε πανδημεὶ ἀγαλθῆναι, καὶ ἱερὰν ἀεὶ ἄγεσθαι.*

2) Dio C. LIV, 25 non recte narrat: *ἔδοξε σφίσιν ἄλλα τε, καὶ βωμὸν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ὑπὲρ τῆς τοῦ Αὐγούστου ἐπανόδου ποιήσασθαι,* nam ad Campum Martium fuisse hanc aram praeter ipsius Augusti testimonium firmant Fasti, in quibus ara die 4 m. Julii a. 741 constituta, die 30 m. Jan. a. 745 dedicata esse in Campo Martio perhibetur.

3) Dio C. LV, 8: *τὴν πανήγυριν τὴν ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου γενομένην ὁ Γάϊος ἀντ᾽ αὐτοῦ σὺν Πείσωνι διέθηκεν.* Huc spectat etiam alius locus Dionis LIV, 27: *τῷ Τιβερίῳ ἐπετίμησεν* (*Αὔγουστος*), *ὅτι τὸν Γάϊον ἐν τῇ πανηγύρει τῇ εὐκταίᾳ, ἣν ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αὐτοῦ διετέλει, παρεκαθίσατο*, quod quidem verbum parum convenienter adhibuit Dio, nam *ἀντικατέστησε* dici oportebat.

Augustus (v. ind. IV, 8). Atque huc refero nummos, in quibus scriptum: *Vot. P. susc. pro salute et reditu J. O. M. sacrum*, et quod ibidem Martis effigies exhibetur, documento est haec vota tam Jovis quam Martis numini suscepta esse.

P. II, 18 *municipatim* Mommsenus scripsit, apud Perrotum est MVNICIPALEM, Luc. MVNICIMI ////M, Chish. MVNICIPI///M. Deinde *sacrificaverunt saepe* dedi, nam *continuo* quod Mommseno placuit, ferri non potest: nec tamen interpres culpandus, qui *συνεχῶς* scripsit, nam glossographi veteres *συνεχῶς* interpretantur *assidue*, *continuatim*, *frequenter*; atque ita Graeci scriptores, velut Apollonius de pronom. p. 396, C: *καὶ Ἀλκμὰν δὴ συνεχῶς αἰολίζων,* ubi si quis *συχνῶς* scribere malit, nihil aget, nam hujus voculae eadem est ambiguitas. Mirum fortasse videbitur, quod interpres *σύμπαντες οἱ πολεῖται ὁμοθυμαδὸν* scripsit, ubi latinum exemplum nihil nisi *universi cives* suppeditat, sed addidit hoc de suo, quemadmodum glossographi veteres *ὁμοθυμαδὸν* vertunt: *universi*, *una*, *pariter*, *gregatim*, *simul*.

Cap. X.

Augusti nomen additum est Saliorum carminibus initio anni 725, postquam principis litterae ad senatum perlatae sunt, nuntiantes Tiridatem ad se in Syriam confugisse, Phraatem legatos misisse, (Dio C. LI, 20), ut jam Romani Parthico terrore liberati esse sibi viderentur: itaque jam mense Martio ejus anni Salii videntur principis nomen recitavisse. Apud Dionem sacerdotum nomen librariorum incuria oblitteratum existimo, scripsit haud dubie: *ἐς τοὺς Σαλίων ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι.* Eundem honorem postea aliis quoque principibus impertitum esse constat; neque vero in SC de Drusi Caesaris honoribus (Orelli III, 5381) Borghesio aliisque obtemperandum, qui scribunt: *utique omnibus* [*sacris carminibus Drusi*] *Caesaris nomina r*[*ecitentur*], nam deinceps recensentur honores, quos senatus, ordo equester, plebs urbana decreverunt: hunc autem honorem non equestri ordini, sed senatui secundum pontificum arbitrium deferre licuit. Scribendum potius: *utique omnibus* [*equitum recognitionibus Drusi*] *Caesaris nomina r*[*ecitarentur*] sive *transvectionibus* malis. Item rejicienda restitutio SC de Germanici honoribus, ubi legitur:

VR. IN PALATIO
IN EODEM LIBRO

conjiciunt: [*carmine quod canit*]*ur in Palatio*, non curantes proximorum versuum reliquias. Scribendum videtur: [*uti clupeus argenteus poneret*]*ur in Palatio* [*inter oratores*, *incisis*] *in eodem libro*[*rum titulis*, *quos Ger*]*manicum arbitra*[*rentur absolvisse*] [1]). Nam in bibliotheca Palatina

1) Singuli versus hujus tituli elementa habent plus quam triginta, ut ostendit cap. 3 pag. 1, qui locus in hunc modum redintegrandus videtur:

Tertius Janus, [q]ve[*m apud Rheni ripam exer-*
citus de inp. R. ben[*e merito devictis Ger-*

(Suet. Aug. 29 Tacit. Ann. II, 37) inter eloquentiae auctores clupeus positus est: censuerunt sane clupeum auro et magnitudine insignem, sed adversatus est Tiberius, (ut Tac. Ann. II, 83 refert), adseverans solitum paremque ceteris dicaturum, neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur.. Sed praeterea videntur honoris causa additi esse tituli librorum, quos scripsit Germanicus, orationum, graecarum comoediarum, et si quae alia ingenii sui monumenta non inchoata, sed absoluta reliquit (Sueton. Calig. 3.), ut studiorum memoria esset superstes.

P. II, 22 ut locum redintegrarem adjeci *in perpetuum*, namque Augusti sermo per omnia curam exactissimam prodit, graecus interpres brevitatis studiosus neglexit.

P. II, 23. In hoc loco satis male habito detrimenta nunc demum reconcinnare licuit, ubi graecam recuperavimus interpretationem, quae integra est servata, nisi quod uno loco, ubi enotatum est T⁄N, potius *ταύτην ἀρχιερατείαν* quam *τὴν* scribendum. In Latino exemplo refingendo passim a Mommseno discessi, velut v. 23, ubi Perr. INVI/I/ OIILE, Mordt. /IVI/////ONIE exhibent, Mommsenus *in vivi* [*l*]*o*[*cum r*]*e*[*cusavi*] scripsit, quod a litterarum vestigiis prorsus recedit. Elementa quamvis evanida ostentant plane *in vivi conle*[*gae locum*] olim scriptum fuisse, idque ipsa res commendat: namque jam a. 706 Caesar puerum Octavianum pontificem in locum Domitii Ahenobarbi demortui designavit, Vell. II, 59, Cic. Phil. V, 17; fuit igitur collega Lepidi pontificis maximi, in cujus locum succedere noluit, populo a. 718, quo anno Lepidus in Sicilia imperio exutus est, summi sacerdotis honorem deferente. Dio C. (LIV, 15) auctor est, identidem Augustum hoc sacerdotium oblatum sibi repudiavisse, neque indicis verba adversantur. Deinde scripsi *quod pater meus* [*habuerat*], Mommsenus *antea habuerat*, Graeca interpretatione non addicente: fuit virgula addita vel interstitium laxius, itaque non opus est additamento. Quae sequuntur Mommsenus in hunc modum conformavit: [*Cepi id*] *sacerdotium aliquod post annos*

---

manis et praec[*lare re gesta propter tum*-
*u*lum Drusi facei[*undum vovit, eo loco fier*-
et, cum esset in e[*o titulus honorarius*
ex hoc S. C. factus. [*Antiochiae, ubi corpus*
Caesaris cremat[*um esset, sepulcrum, ubi exspi*-
rasset, trib[*unal fieret.*

V. 2, ubi in aere esse perhibetur DEINDE PEI, quod manifestum vitium contraxit, scripsi dubitanter DE· INP. R. BEN[*e*] *merito*, sed certa est emendatio novissimorum versuum, quam Tacitus Ann. II, 83 firmat: *sepulcrum Antiochiae, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat.* Facile apparet Tacitum hujus SC exemplo usum esse, nisi quod suburbii nomen ipse addidit. Praeterea videtur decretum esse, ut etiam Romae in Capitolio ad aedem fidei P. R. fieret tribunal, de quo vide sis titulum ap. Orellium III, 5433.

eo mor[tuo, qui id per civiles discens]io[nes] occupaverat, equidem satius duxi: [*Hoc*] *sacerdotium* ... *eo mor[tuo cepi, qui id in rerum confus]io[ne] occupaverat* [1]) scribere, quod supplementum non solum graeca interpretatio *ἐν πολειτικαῖς ταραχαῖς*, sed etiam Liviana epitome 117: *in confusione rerum ac tumultu M. Lepidus pontificatum maximum intercepit* confirmat, neque tamen inde conficiam Livium haec post Augusti mortem scripsisse eique indicis verba obversata esse. Denique v. 28 *conveniente* scripsi, cf. Cic. pro Sestio 62, nisi forte quis *confluente* malit.

Augustus, cum mortuo Lepido in ejus locum a collegis suffectus esset, et senatus ei summum sacerdotium mandare vellet, pertinaciter deprecatus est (Dio C. LV, 27), noluit enim populi libertatem imminuere. Temere prorsus Hoeckhius Hist. Imp. I. 395 comitiis centuriatis Augustum pontificem maximum creatum esse censet; illud vero ambigi potest, utrum per tribus XXXV an a minore populi parte creatus sit. Quae hic Augustus de universorum civium studiis narrat, minime arguunt tunc non tralaticio more minorem populi partem, sed omnium tribuum cives suffragia tulisse: nam convenire oportebat omnes tribus, ut ex iis suffragia laturae sortito eligerentur. Caesarem sane per XXXV tribus pontificem maximum creatum esse non sine veritatis specie colligas ex Suet. Caes. 13, qui dicit Caesarem duos potentissimos competitores superasse, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus tulerit; *omnes* quidem tribus etiam XVII dici poterant, quae prisco more pontificis comitiis suffragia ferebant, verum permirum tunc et Q. Catuli et Servilii Isaurici tribus fortuito sortis beneficio ad suffragia vocatas esse [2]); nisi forte lege sanctum erat, ut tres candidatorum tribus (tres enim fere pontificatum maximum petere solebant) jure suffragiorum libertatem usurparent, reliquae sortito vocarentur: neque tamen huic suspicioni patrocinatur Cicero, qui de lege agr. II, 7 dicit Rullum legis agrariae auctorem eodem modo ut comitiis pontificis maximi paucas tribus (h. e. XVII) non certa conditione juris, sed sortis beneficio et fortuito ad decemviros creandos vocare. Quod si Caesar a. 691 per omnes tribus pontifex maximus creatus est, Labienus tr. pl., qui hoc ipso anno legem de sacerdotiis auctore Caesare pertulit, hac ipsa lege hoc novasse censendus est. More majorum cum pontifex maximus a minore populi parte crearetur, jam a. 608 Licinius Crassus tr. pl. rogationem de sacerdotiis tulit, ut collegiorum quoque cooptatio ad populi arbitrium transferretur; quae rogatio cum ad irritum redacta esset, a. 650 Domitius tr. pl. legem pertulit, ut sacerdotes, quos antea collegia subrogaverant, populi minor pars crearet. Legem Domitiam postea Sulla abrogavit, neque vero pontificis maximi comitia sustulit [3]).

---

1) Lepido Antonius pontificatum maximum detulit majorum more neglecto, ut Dio C. XLIV, 53 enarrat: *ἔς τε τοὺς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγε, κἂν τούτοις αὐτὸν, οὐδὲν ἢ ὀλίγα τῶν νενομισμένων πράξας ἐτέλεσε.* Hinc Vellejus II, 63 furto creatum esse dicit.

2) Animadvertit hoc etiam Merklin Coopt. 145.

3) Non recte Lange Antiq. R. II, 464 post alios (cf. Merklin Coopt. 144) conten-

Initio anni 791, quum Rullus legem agrariam ferret, populo majorum more pontificem maximum creare licebat, sacerdotia deferre non poterat, Sullae lege etiam tunc vigente; verum eo ipso anno Labienus populo sacerdotum creandorum arbitrium restituit. Dio C. XXXVII, 37 dicit Labienum Domitiam legem renovasse [1]), sed Labieni legem, cujus auxilio Caesar (*καίτοι καὶ νέος καὶ μηδέπω ἐστρατηγηκὼς* ut Dio dicit) pontifex maximus creatus est, plura novavisse manifestum est: cum Domitia lex ad pontificatum maximum omnino non attineret, Labienus videtur aditum ad amplissimum hunc honorem faciliorem reddidisse, potuitque ille neglecto majorum more pontificis maximi creandi jus a tribubus XVII ad XXXV transferre, ac fortasse etiam de sacerdotibus subrogandis idem sanxit, quod jam antea Licinius Crassus videtur suasisse. Legem Juliam de sacerdotiis unus Cicero ad Brut. I. 5 memorat; ea igitur num hanc rem novo modo ordinaverit plane incompertum.

Quod Augustus non statim post Lepidi mortem a. 741 pontificatum maximum cepit, sed proximo demum anno 742 die 6 Martii comitia habita sunt, inde repetunt, quod eodem die Caesar a. 691 pontifex M. fuerit creatus (ita Marinius et Drumannus Hist. R. III, 167): sane ab Augusti ingenio hoc non abhorret, et cum in Fastis Maff. adnotatum sit, *Caesarem* hoc die factum esse pontificem maximum, possis hanc adnotationem ad Julii comitia referre, neque mirum, si postea in Fast. Praen. Augusti comitia in eum locum succedunt. Verum assentior Mommseno Caesaris nomine illic quoque Augustum significari, de quo etiam Ovidium verba facere manifestum est. Caesar quo anni tempore pontifex M. creatus sit, non est traditum; secundum Dionem C. XXXVII, 37 comitia habita sunt anno extremo, nam dicit Caesarem populi gratiam maxime sibi conciliasse, quod detecta conjuratione Catilinae de Lentulo aliisque facinoris sociis supplicium summum sumendum esse negaverit: at hoc anni tempus comitiis pontificis creandi minime opportunum arbitror, ac Sueton. Caes. 13 videtur indicare, Caesarem pontificatus honorem ante Catilinae conjurationem oppressam adeptum esse. Annalium scriptor, quem Dio sequitur, videtur postquam res a. 791 gestas enarravit more tralaticio alia quaedam memoria digna subjecisse, velut Caesarem eo anno pontificem M. creatum esse; inde Dio in errorem inductus comitia haec sub anni finem habita existimavit, ac populi gratiam, qua florebat Caesar, suo periculo explicavit. Neque vero die 6 Martii creatus est Caesar pont. M., nam hunc honorem non prius petiit, quam Labieni lex de sacerdotiis perlata fuit: manifestum autem his rebus peragendis duos men-

---

dit Sullam etiam hunc majorum morem abrogavisse; testimonia quibus utitur nihil probant, poterat adhibere Dionis locum XLIV, 53 de Lepido per Antonium pontificatum maximum consecuto *ἔς τε τοὺς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγε*, at vero Dio non Sullanam aetatem, sed antiquissima tempora respexit.

1) *καὶ τὰς αἱρέσεις τῶν ἱερέων, γράψαντος μὲν τοῦ Λαβιήνου, σπουδάσαντος δὲ τοῦ Καίσαρος, ἐς τὸν δῆμον αὖθις ὁ ὅμιλος παρὰ τὸν τοῦ Σύλλου νόμον ἐπανήγαγεν, ἀνανεωσάμενος τὸν τοῦ Δομιτίου.*

ses Januarium et Februarium non sufficere [1]). Fortasse Augustus indixit comitia in eum diem, quoniam majores mense Martio saepius ea comitia habuerant, isque mensis propterea prosperum eventum promittere videbatur: certe comitia creando pontifici a. 542, de quibus Liv. XXV, 5 refert, verno tempore inter d. 15 Mart., quo consules magistratum ceperunt, et d. 27. April, quo perpetratis feriis Latinis in provincias profecti sunt, habita esse consentaneum est, neque vero, quod fortasse aliquis ex Livianae narrationis tenore colligat, post Kal. Majas [2]). Augusti exemplum secutus etiam Tiberius eodem mense Martio sed die 10 pontificatum maximum cepit [3]), verum Vitellius non dubitavit vel Alliensi die, (h. e. d. 18 Julii) hunc honorem auspicari [4]).

Cap. XI.

P. II, 29. *Fortunae reducis* quam *reduci* scribere malui secutus Graecam interpretationem, nam Fasti variant modo secundum modo tertium casum ostentantes. — P. II, 30 *pro reditu meo ex Syria* scripsi, nam Augustum veri simile est statim a principio dilucide indicavisse, unde Romam redierit [5]). Graecus interpres ut verba latini exempli [*propter ae*]*des Honoris et virtutis* (Dio C. LIV, 18 *τὴν τῆς Τιμῆς καὶ τῆς Ἀρετῆς πανήγυριν*) praetermisit, ratus *πρὸς τῇ Καπήνῃ πύλῃ* sufficere, ita supervacaneum existimavit Orientis bis mentionem fieri, quare Syriae nomen, quo infra utitur, hoc loco neglexit. Neque vero Augustus bis eodem vocabulo usus est, itaque deinde scripsi: *in urbem ex* [*transmarinis provincis redieram*, *eumque*

1) Caesarem postquam pontificatum maximum cepit orationem pro Bithynis habuisse significat Gellius V, 13, sed suspicor doctum grammaticum errare, pontificem maximum pro pontifice appellantem, quod sacerdotium Caesar a. 680 cepit, et eodem fere tempore etiam oratio habita esse videtur, in qua qui compellatur non M. Juncus est, homo mihi quidem prorsus ignotus, qui Nipperdeio et Heetzio placuit, sed M. Junius Silanus, cui vulgo L. praenomen sed sine auctoritate tribuunt, qui modo Asiam provinciam obtinuerat. Ad eundem refero praeter Plinii testimon. H. N. XXXV, 100 tit. Atticum Eph. Arch. 3765: *τὸ κοινὸν Βοιωτῶν, Εὐβοέων, Λοκρῶν, Φωκέων, Δωριέων Μάρκον Ἰούνιον* (*ΙΟΥΛΙΟΝ*) *Μάρκου υἱόν, Δέκμου υἱωνόν, Σειλανόν, ἀντιταμίαν, σωτῆρα καὶ εὐεργέτην.*

2) Livius XXV, 3 et 4 fraudem publicanorum et Postumianam causam ordine enarrat, tum subjungit comitia pontifici creando habita, sed inde non sequitur, haec se excepisse, cum potius eodem fere tempore transacta sint, quae rerum scriptori deinceps enarranda fuerunt. Postumianae causae tempora enodare non audeo, sed videntur haec circiter quadraginta diebus transacta esse.

3) Dies 6 mensis Martii cur notam NP, 10 notam C ostentet, investigare studuit Hartmann (R. Gerichtsverf. p. 53), sed conjectura incerta, siquidem dies 26 Jun. nota NP insignitus est propter ferias ob adoptionem Tiberii.

4) Suet. Vitell. 11. Tacit. Hist. II, 91.

5) Quod fortasse aliquis conjiciat reliquis Mommseni supplementis servatis hic scribendum esse *pro salute et reditu meo*, omnino improbandum.

diem Augustalia appell]*avit*, quemadmodum est in Fastis: *ex transmarin. provinc. urbem intravit* vel [*ex transmari*]*nis provincis reduxit.* Mommseni supplementum *ex nomine nostro* (potius *cognomine* dicendum fuit) abjeci, nam neque locus est huic additamento, neque alias Augustus, cum de se suisque rebus verba facit, plurativo vocabulo utitur: addidit hoc graecus interpres de suo.

Cap. XII.

In Graeca metaphrasi, quae integra servata est, primi versus ἐκθέσει novi capitis initium solenni more notatur, latini exempli num consimilis fuerit species dignosci nequit, quandoquidem primordia versuum oblitterata sunt. Satis quidem incommode quae hic narrantur, a praegressis separantur: nam pergit Augustus enumerare, qui honores sibi ex Syria redeunti sint habiti, deinde reditum ex Gallia commemorat. Quod si novum caput inchoandum fuit, poterat commode hoc loco (II, 37) fieri. Mihi quidem videtur Augustus honores, qui sibi ex Syria et postea ex Gallia redeunti delati sunt, uno capite comprehendisse, cum graecus interpres intempestive ea, quae arcta necessitate conjuncta sunt, diremerit; sed nolui quidquam novare, ne tralaticius numerus capitulorum immutaretur.

In redintegrando hoc loco passim a Mommseno discedendum fuit, qui scripsit [*senatus consulto eodem tempor*]*e*, satis quidem convenienter, sed cum Graeca interpretatio non congruat, posui [*itemque ex senatus auctoritat*]*e*. Deinde quod est apud Mommsenum: *et princip*[*i*]*b*[*us viris obv*]*iam mihi m*[*issi sunt in Campaniam*] a litterarum vestigiis in lapide NIAM· MIHI M (ita Perrot, IVMMIHI Mordt., A MIHI Luc. Chish.) praeter necessitatem recedit, itaque scripsi: *et princip*[*i*]*b*[*us in Campa*]*niam mihi m*[*issi sunt obviam salutatum.*] Denique non [*ad ho*]*c* [*tempus*], sed [*ante h*]*oc* [*tempus*] correxi, in lapide enim est /////OC, et similiter infra V, 16 legitur *ante id tempus,* ubi interpres πρὸ τούτου τοῦ χρόνου vertit, hoc loco μέχρι τούτου substituens. *Nemini* Augustus scripsit, qua forma abstinuit Caesar, qui *nulli* dicere solet, velut in loco simillimo de b. G. II, 35, 4: *quod ante id tempus accidit nulli* (cf. Stürenburg ad Cic. de offic. p. 177), nisi quod semel admisit de b. Civ. I, 85, 12: *si id sit factum, se nociturum nemini,* credo quod hoc tralaticium erat, cf. Plaut. Mil. gl. 1413 [1]). Ac similiter aliorum scriptorum usus fluctuat; Plinius Paneg. 27 *nemini* usurpat, abstinuit eadem forma Tacitus.

Ipsam rem Dio C. LIV, 10 illustrat, cujus narrationem ab iis, quae hic

---

1) Videtur haec etiam orthographus Marii Vict. I, 4, 8 attigisse; veteris et recentioris sermonis differentiam notans etiam voces commutari dicit, quemadmodum *nemo* et *nullus:* docuit opinor veteres et *nullius* et *neminis* dixisse; hac forma (qua Ennius, Plautus, Cato usi sunt) abstinere recentiores. Sed haec praetermissa sunt non librarii negligentia, sed festinatione ejus, qui haec in breviarium redegit.

Augustus memoriae prodidit, dissentire non recte asserit Mommsenus, qui res diversas, insuper et loco et tempore prorsus diremtas confundit. Cum a. 735 in urbe propter comitia consularia tumultus graves moti essent ac novarum rerum initia deprehensa essent, senatus legatos misit ad Augustum, qui continuo ex his ipsis legatis Q. Lucretium, quamvis olim adversarum partium fuisset, consulem designavit: princeps etiam tum procul aberat ab urbe, Athenis, ut videtur, Asiae Orientisque rebus ordinatis Samoque relicta Romam contendens. Has res a Dione expositas Augustus non attigit in indice, ubi honores sibi delatos enumerat. Statim post legatorum discessum ipse Romam contendit, atque ubi principem adventare nuntiatum est, plurimi honores decreti sunt, quos repudiavit Augustus praeter aram Fortunae reduci dedicandam et Augustalium anniversariam solennitatem [1]). Tum pergit Dio: *ἐπεὶ δὲ καὶ ὣς αἵ τε ἀρχαὶ καὶ οἱ ἄλλοι προαπανιῆσαί οἱ προπαρεσκευάσαντο, νύκτωρ ἐς τὴν πόλιν ἐσεκομίσθη,* quibus verbis solennem principis salutationem descripsit, quam Augustus sibi a senatu decretam esse auctor est. Neque haec Dionis narratio adversatur ipsius principis verbis, qui non remisit hanc salutationem, ut alios honores, sed devitavit qua erat modestia nocturno tempore urbem ingressus. Quod Augustus dicit, ejusmodi honorem antea nemini decretum esse, videtur eo spectare, quod in Campaniam missi sunt, ut principem in itinere opperirentur et salutarent, nam urbem intranti similis honor Augusto jam post bellum Actiacum decretus est, ut Dio C. refert LI, 19: *ἐς τὴν πόλιν ἐσιόντι αὐτῷ τάς τε ἱερείας τὰς ἀειπαρθένους καὶ τὴν βουλὴν τόν τε δῆμον μετά τε τῶν γυναικῶν καὶ τῶν τέκνων ἀπαντῆσαι ἔγνωσαν,* quae quidem pertinaciter deprecatus est (Dio LI, 20) [2]).

Cap. XIII.

P. II, 43 Mommsenus edidit: [*cum p*]*er totum i*[*mperium po*]*puli Ro-*

---

1) Reduce Augusto diis fere supplicatum est, velut post expeditionem Cantabricam, quo spectat Horatii carmen III. 14, in quo teretes criticorum aures hiatus quidem asperitas offendit, sed aequo animo tulerunt ineptissimum versiculum, in quo *puellae jam virum expertae* appellantur: leni medela utrumque mendum procuramus scribentes: *vos o pueri et puellae, jam virum expertaeque male ominatis parcite verbis.* Matres familias dicit, quemadmodum etiam in ludis saecularibus praeter pueros et puellas nuptae mulieres in Capitolio carmen canebant, vid. Zosim. II, 5: *γυναῖκες ἐπίσημοι κατὰ τὴν ὥραν, ἣν ὁ χρησμὸς ὑπηγόρευσεν, εἰς τὸ Καπιτώλιον συνελθοῦσαι λιτανεύουσι τὸν θεὸν καὶ ὑμνοῦσιν ὡς θέμις,* quemadmodum est in carmine Sibyllino: *αἱ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι ἤματι κείνῳ γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι δαίμονα λισσέσθωσαν.* Sueton. Aug. 57 auctor est *revertentem ex provincia non solum faustis ominibus, sed et modulatis carminibus prosecutos esse.*

2) Quod anno 724 ineunte, cum Augustus Brundusium venisset, senatus (*πλὴν τῶν τε δημάρχων καὶ στρατηγῶν δύο κατὰ δόγμα μεινάντων*) equites et magna plebis pars principis salutandi causa illuc se contulerunt, non ex senatus auctoritate videtur factum esse, qui tantum jussit duos praetores in urbe remanere.

ma[ni esset terre]s[tris] nav[alisque] pax; sane haec supplementa ad litterarum reliquias, quas solus Perrotus animadvertit, SI//NAV/ proxime accedunt, sed *terrestris navalisque pax* sine exemplo positum vix admittere videtur sermonis latini ratio, ac vel maxime offendit haec insolentia in Augusti commentario, qui puri et nihil supra modum se extollentis sermonis fuit studiosissimus. Igitur scripsi: [*Cum p*]*er totum i*[*mperium po*]*puli Roma*[*ni terra marique es*]*se*[*t no*]*n du*[*bia parta*] *pax*. Litterae evanescentes *es*SEt *no*N DV*bia* facile poterant eam speciem praebere, quam Perrotus exhibet. Ut Augustus *non dubiam* dixit pacem, ita Vellej. II, 38: *certae pacis argumentum Janus geminus clausus. Terra marique parta pax* dicitur more solenni, ut est apud Sueton. Aug. 22: *Janum Quirinum semel atque iterum a condita urbe ad memoriam suam clausum in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit.* Liv. I, 19, 3: *Janus clausus fuit — post bellum Actiacum ab imperatore Caesare Augusto pace terra marique parta.* Seneca de morte Claudii 10 ipsum Augustum dicentem finxit: *in hoc terra marique pacem peperi.* In titulo statuae, quae Augusto in foro dicata est devicto Sex. Pompeio, scriptum fuit teste Appiano de b. Civ. V, 130: *τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατά τε γῆν καὶ θάλασσαν.* Item in Neronis nummis, qui facti sunt in memoriam Jani denuo sub hoc principe clausi, *pace terra marique* vel *ubique* [1]) *parta* legitur. — II, 44 *a condita urbe* dedi, nam tot elementa intercepta videntur, atque plane ad eundem modum Suetonius, non: *ab urbe c.* — II, 45 *senatus*, quod interseruit Mommsenus, abjeci, cum huic vocabulo nullus sit locus, neque necessarium sit: interpres de suo addidit. Fortasse aliquis existimet fuisse hic scriptum v. 42 *clussum* et v. 45 *cludendum*, quemadmodum in Neronis nummis eadem de re *clusit* extat [2]); obstat autem huic

---

1) Item Varro de l. l. V, 164: *jus institutum a Pompilio, ut scribit in Annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam.* Sueton. Ner. 14: *tanquam nullo bello residuo.*

2) Antiquam esse hanc vocabuli formam docet ipsius Jani cognomentum *Clusius* Ovid. Fast. I, 282, (ubi alii libri *Clausius* vel *Claudius*) sive *Clusivius* (Macrob. Sat. I, 9, 16. Serv. Virg. Aen. VII, 610), hinc non est mirum, eam adhibitam esse, ubi de Jani templo claudendo mentio fit, quamquam apud antiquiores scriptores hujus formae nullum extat vestigium; nam apud Ovid. Fast. I, 282: *Caesareoque diu nomine clausus ero* unus tantum liber, ut videtur, *clusus* praebet. Quid in Verrii Flacci Fast. Praenest. scriptum fuerit, non constat, nam adnotationis ad diem XII m. Jan. haec sola supersunt IANVM C. Titulus ap. Orell. I, 620 *cluso Jani templo*, cum reliqua perierint, cujus sit aetatis incertum. Hispaniensem inscriptionem apud Gruterum p. 149, qua multi homines docti usi sunt, velut Casaubonus ad Suet. Aug. 22 et Franke in fast. Horat. p. 229 (Hübnerus neque germanis neque subditiciis titulis videtur inseruisse) sciens praetermitto. Nero quidem antiquitatis studio ductus praeoptavit *Janum clusit*, quemadmodum plurimi principis nummi testantur, vid. Cohen numm. imp. I, 179, 11, et 195 —198, atque ita Sueton. Aug. 22: *Janum Quirinum semel atque iterum clausum . . . ter clusit*, sed Ner. 14: *Janum geminum clausit*, item Florus II, 34 *Janum geminum cludere ter ante se clusum* scripsit. Omnino autem hac forma praeter gromaticos passim utun-

suspicioni non tam quod v. 44 plane legitur *clausum*, (nam alii quoque scriptores utramque formam promiscue adhibent), sed quod plenior forma utroque loco ad interstitium complendum necessaria est. — In Graeco exemplo *κεκλεῖσθαι* quamvis vitiosum fortasse debebam servare, quemadmodum in titulis Stratonicensium etiam antiquioribus frequenter est peccatum (C. I. Gr. II, 2715 seq.), item in Ancyranis (III, 4075 et 76) sed recentibus *διευτύχι* legitur.

Cap. XIV.

Hujus capituli tam latinum quam graecum exemplum labis fere expers: illud adnotandum, Graecum interpretem [ἐτ]είμησαν scripsisse, cum *τειμήσαντες* potius huic loco conveniat.

Mihi supplementum, quod prioribus placuit III, 3: *ex eo die*, *quo deducti* [*s*]*unt in forum* admodum dubium videtur, nam ea verba significant post deductionem in forum senatum decrevisse, ut Caesares suis consiliis interessent, sed orationis conformatio indicio est, simul atque eadem opera senatum decrevisse, ut consules designarentur et senatorius locus iis daretur. Atqui consules designati sunt Gajus a. 748, Lucius a. 751, in forum deducti Gajus a. 749, Lucius a. 752, decreti igitur sunt honores, ante quam togam virilem ceperunt, hinc Tacit. Ann. I, 3: *nam genitos Agrippa Caium et Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes juventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat*, cf. quae Mommsenus ea de re exposuit. Itaque scripsi *deducti* [*er*]*unt* (quo etiam tendit lectio Coss. DEDVCERVNT, cum apud Perr. sit DEDVCTI /UNT), atque video nunc idem jam Gronovio placuisse.

Parmas et hastas, quas Augustus argenteas fuisse testatur, minus recte Dio C. LV, 12 aureas appellat, narrans defunctis Caesaribus in curia repositas esse.

Cap. XV.

P. III, 9 et 17 *consul quintum* cum scripsit Augustus, Varronis sequitur judicium (in libro disciplinarum V ap. Gell. X, 1, 6): namque ipsi Romani ambigebant, utrum *consul tertio* an *consul tertium* rationem haberet. Pompejus in doctorum hominum dissensione timidiusculus Cicerone auctore in theatro CONSVL TERT. scripsit, spreta Varronis auctoritate, ad quem haud dubie praeter ceteros eam quaestionem rettulerat. Postea vero, cum theatrum incendio absumtum esset, titulus in hunc modum restitutus CON-

---

tur Tacitus, Suetonius aliique ejus saeculi scriptores, eamque etiam grammatici, velut Charisius et Priscianus testificantur; item in titulis, ut in Jahnii spicil. p. 130 CLVSAE vel potius CLVSIT, in actis Fratrum Arvalium passim legitur.

SVL III [1]), nota satis ambigua, nam significat etiam eum, qui ter consul fuit; Augustus in indice hac nota abstinet, nisi quod *consul* XII legitur III, 15 et *consul* XIII infra IV, 38.

Hujus quoque capitis utrumque exemplum integrum conservatum, sed uno loco III, 17 valde laboramus:

> In colon[is] militum meorum consul quintum ex manibiis viritim millia nummum singula dedi, acceperunt id triumphale congiarium in colo[n]is hominum circiter centum et viginti millia.

In colon[*i*]*s* praeeunte Zumptio edidit Mommsenus, atque id ipsum exhibet Perrotus, //OLON/S Mordt., //ON//S Lucas, sed Busb. ET· QVINIS, Chish. ET· CVOIVIS. Verum cum alias dandi casu utatur Augustus, offendit hic *in colonis*, quare *et colonis* scripsi, quamvis antiquiorum tantum apographorum fide nitatur. Malum factum, quod hoc ipso loco graeca metaphrasis hiat, ubi est ///IΛ / *OIKOIΣ*, unde Mommsenus [*τοῖς ἀπ*]*οίκοις* scripsit. Apparet interpretem ambigua forma *colonis* deceptum esse [2]), neque vero credo eum

1) Ad Claudium referendus est titulus restitutus, quem ipse Gellius vidit; neque enim de Pompeji theatro per Augustum refecto (IV, 9.) cogitandum est, sed de reparatione, quam inchoavit Tiberius, absolvit Claudius, de qua vid. Bekkerus A. R. I. 677.

2) Saepe numero contracta forma decepit grammaticos nostros, velut apud Caesarem B. C. III, 96 *detractis insignibus imperatoris* nihil aliud est quam *imperatoriis;* apud Ciceronem Tusc. III, 20 editum est: *quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur*, quod mihi ne latinum quidem videtur, nam *cantor* nihil aliud significat quam poetam; scribendum *Euphorioniis*, atque ab hoc exemplo contractio omnino aliena, sed librariorum stupor non dubitavit etiam *Dari* alia id genus inferre, quas sordes qui docti videri volunt studiose revocant, quemadmodum in Quintiliano editorum superstitio *Ulixen* sive retinuit sive revocavit, quod mihi quidem semibarbarum videtur; et Halmium quoque dubium haerere video, sed quod Vol. I. p. 25 legentes ad lectionis varietatem lustrandam invitat, ipse quidem iis locis ut permultis aliis nihil omnino varietatis enotavit. Sed mirari desinent, qui meminerint in Ovidii Fast. IV. 746 *Palen* quosdam edidisse, ad quod exemplum etiam in Calpurnii ecloga IV, 106 nonnulli libri eandem formam suppeditant. *Achilleum* Büchelerus Plauto Merc. 489 vindicare studuit (Mus. Rhen. XV, 435) latinis auribus non minus insolens quam rectus casus fuit *Achilleus:* in Plautino versu nihil tribuendum cod. D, qui a secunda manu *achillū* exhibet, nam correctoris hujus in ista quidem fabula nulla est auctoritas, scribendum sec. cod. B. *Achillem orabo aurum mihi det,* ubi *mihi* extrema producta efferendum est. Nihilominus Fleckeisenus illi critico *Ulixeum* apud Plautum et Ennium restituenti assensus est, et alius criticus audacia insignis eo temeritatis processit (Mus. Rh. XXV, 619), ut Plauto Men. 201 vel rectum casum *Herculeus* quattuor syllabarum obtruderet, ubi poterat facili negotio *Herecoles* (*Hericules*) scribi, sed nostri nunc germana barbarie delectantur. Alia ratio est eorum nominum, quorum casus rectus etiam apud priscos Latinos in eus cadit; quemadmodum *Oeneum* et *Atreum* apud Attium legitur, incertum *Aegialeum,* quod Halmius ap. Quint. VIII, 6, 35 scripsit, Pacuvii Medo vindicans, sed fuisse videtur *Aegialeon* (*Αἰγιάλεων*), qua forma recentiori poetae uti licuit. Neque vero antiquiores scriptores *Piraeeum* dixerunt, sed tribus syllabis *Piraeum* extulerunt, velut Caecilius ap. Cic. ad Att. VII, 3, 10, quamvis libri illam formam tueantur. Citeriores passim adhibent *Piraeeum, Perseum, Theseum, Elipeum* (*Enipeum*), *Areum,* quamquam paradosis hic quoque non usquequaque certa est.

in errorem inductum esse, si *in colonis* scriptum reperisset, (nam III, 19 *in colonis*, IV, 27 et 30 *municipiis et colonis* recte interpretatur), sed si legit *et colonis . . . dedi* proclivis fuit error, ac litterarum vestigia suppeditant [*τοῖς*] *τ' ἀ*[*π*]*οίκοις*, itaque Graecus quoque interpres eam lectionem, quam secutus sum, videtur commendare.

Praeterea offensioni est, hac liberalitate, quae militum coloniis usu venit, urbanarum largitionum ordinem intempestive interpellari, quod tum demum excusabile, si temporis ordine servato, cujus Augustus per cetera rationem habet, hanc donationem tertio loco recensuisset; nam utramque consul quintum a. 725 bello Actiaco confecto fecit. Haec offensio non latuit Mommsenum, sed eam rationem, qua difficultatem expedire conatus est, improbabilem esse jam supra p. 4 ostendi. Augustus recensuit largitiones urbanas justo ordine, extremo autem loco addidit liberalitatem coloniis militum concessam: sed librarii incuria hoc novissimum enuntiatum, quod videtur praetermisisse, alieno loco insertum est. Sic igitur indicis verba ad justum ordinem redigenda sunt:

III, 15: Tribu[*nic*]iae potestatis duodevicensimum consul XII trecentis et
16 vigint[*i*] millibus plebis urbanae sexagenos denarios viritim dedi. /
17 19 *Et consul* ter-
20 tium dec[*i*]mum sexagenos denarios plebei, quae tum frumentum publicum
21 accipieba[*t*], dedi; ea millia hominum paulo plura quam ducenta fuerunt.
17 Colon[*i*]s militum meorum consul quintum ex manibiis viritim
18 millia nummum singula dedi; acceperunt id triumphale congiarium
19 in colo[*n*]is hominum circiter centum et viginti millia. /

Ceterum hanc principis munificentiam non soli veterani, sed etiam reliqui cives harum coloniarum experti sunt, id quod vel grandis hominum numerus (CXX millia) satis superque arguit. Moneo hoc Mommseni causa, qui parum recte hoc numero usus est p. 42.

Graecus interpres *tertium* (III, 13) neglexit, deinde scripsit *εἰς ἄν*[*δ*]*ρας μυριαδῶν εἴκοσι πέντε,* ubi *εἰς ἀνδρῶν μυριάδας* desideramus, nisi forte opifex hunc errorem commisit; deinde quod est in lapide III, 15 (VIII, 10) *ΤΗΣ . . . ΝΤΑΣΙ* videtur sane *τρισὶ μυριάσι* delitescere, sed latinum exemplum *δυσὶ* flagitat.

Congiaria haec plebem urbanam accepisse ipse Augustus testificatur, quemadmodum Caesar a. 708 plebi urbanae viritim LXXV denarios quos promiserat ac praeterea XXV dedit [1]; idque etiam principes postea tenue-

1) Dio C. XLIII, 21: *τῷ σιτοδοτουμένῳ ὄχλῳ.* Item frumentariae plebi frumentum et oleum dedisse videtur, sed universis epulum praebuit, quamquam de his Dio non

runt, itaque Dio C. LX, 25 de Claudio scripsit: *καὶ τῷ δήμῳ τῷ σιτοδοτουμένῳ πέντε μὲν καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἅπασι διέδωκε*; sed Nero patrio more thermis atque gymnasio dedicatis senatui quoque et equitibus oleum praebuit, ut Suet. Ner. 12 refert. Neque vero adversatur, quod in fastis (C. In. L. I. p. 472) Augustus congiarium anno 742/3 populo dedisse perhibetur. Etenim haec liberalitas, cujus auctor Ancus Marcius fuisse dicitur, olim ad omnes cives pertinebat, itaque etiam postea, ubi plebi tantum urbanae congiarium datum est, tralaticia tamen populi appellatio servata est, quemadmodum Suetonius plerumque dicit populum ejusmodi largitionem accepisse, velut Aug. 41. 42. Tib. 20. Calig. 17. Claud. 21. Ner. 7. Domit. 4, (semel plebei datum scribit Tib. 54.), ac similiter proletarii, ut Spartian. Hadr. 7. Jul. Capitol. Anton. P. 4 et 8, Anton. Phil. 22 et 27. Lamprid. Comm. 16. Alex. Sev. 26; item in nummis Neronis (vid. Cohen nummi imper. I. 189 seq.) *populus* memoratur. Plinius autem in Paneg. 25 scripsit: *locupletatas tribus datumque congiarium populo*, et infra: *ne quis e plebe Romana dante congiarium te hominem magis sentiret se fuisse, quam civem.* Fronto p. 250 ed. Berol.: *minus acribus stimulis congiaria*, *quam spectacula expeti*, *congiariis frumentariam modo plebem singillatim placari ac nominatim*, *spectacu[leis] universum [populum.]*

Augustus primum a. 710 ex testamento Caesaris se plebi viritim trecenos nummos numeravisse scribit, ac totidem ipsum Caesarem destinavisse cum alii tradunt (vid. locos ap. Momms.) tum Nicol. Damasc. vit. Aug. 17. Adversatur ipsius Augusti testimonium apud Dion. C. XLIV, 35 (unde Zonarus X, 12 totidem verbis repetiit) *δραχμὰς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταούιος γράφει, τριάκοντα* [1]), *ὡς δὲ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κεκέλευκεν,* quae non sunt ad hunc indicem referenda, quem Dio non adhibuit, neque leguntur haec in indice, sed ad commentarios, quos de sua vita scripserat Augustus. Hunc dissensum fortasse ita licet conciliare, ut statuamus, Augustum de suo congiarium illud ampliavisse [2]).

Ad congiarium, quod Augustus in trib. pot. XII (742/3) datum esse testatur, referendus Josephi locus XVI, 4, 5: *ἐν δὲ ταῖς ὑστέραις ἡμέραις Ἡρώδης μὲν ἐδωρεῖτο Καίσαρα τριακοσίοις ταλάντοις, θέας τε καὶ διανομὰς ποιούμενον τῷ Ῥωμαίων δήμῳ,* quod Zumptius rettulit ad munus filiorum nomine ab Augusto editum Quinquatribus i. e. die 19 Mart. 742; jure improbante hoc Mommseno, cum tunc trib. pot. XI nondum peracta fuerit. Sed praeterea rerum gestarum ordo omnino illi interpretationi adversatur; nam Quinquatribus cum Augustus muneri edendo praesideret, certior factus

---

satis dilucide narrat; ita etiam Caligula (Suet. Cal. 17) senatui equestrique ordini epulum, populo (i. e. plebi) congiarium dedit.

1) Numerus de vitio suspectus, fortasse *ν'* pro *λ'* scribendum, quamquam Zonaras quoque *δραχμάς, ὡς μὲν Ὀκτάβιος γράφει, τριάκοντα* exhibet.

2) Legaverat Caesar den. L, adjecit Octavianus XXV. Neque vero ipse Dio videtur adhibuisse hos commentarios, sed transcripsit aliunde.

est de Agrippae morbo (Dio C. LIV, 28), et cum illi justa persolvisset Tiberium ad bellum Pannonicum proficiscentem prosecutus Aquilejae Herodem convenit, et post illum conventum, ταῖς ὑστέραις ἡμέραις, ut Josephus dicit, cum Augustus Romam reversus esset, ab Herode CCC talenta accepit; haec igitur non ante aestatem anni 742 gesta sunt. Sed Mommsenus quoque Josephi locum perperam interpretatus est, siquidem largitionem (διανομὰς) ad congiarium a. 742/3 datum, ludos (θέας) ad munus aliquot annis post (747, Dio C. LV, 8) in Agrippae memoriam editum refert, quae interpretatio nullo pacto admitti potest: nam apparet eodem temporis articulo Augustum et ludos et largitionem fecisse, h. e. aestate a. 742 post d. 27 Jun., ubi Augustus trib. pot. XII auspicatus erat, ut videtur propter pontificatum maximum sibi die 6 Mart. 742 delatum. Atque id ipsum videntur fasti Ripatransonenses (C. In. L. I, p. 472) testificari; verum enim vidit Borghesius congiarium quod ibi memoratur spectare ad pontificatum maximum ab Augusto susceptum. Borghesii restitutionem cum olim probasset Mommsenus, nunc locum lacunis deformatum aliter redintegravit, ut mihi videtur, parum probabiliter. Sed Borghesio quoque restitutio non successit, qui scripsit:

[*imp. Caes*]ar pontif. maxim. cre[*atus pr.*]
[*non. Mart.*] congiarium populo [*dedit.*]

ut videatur Augustus eodem die et pontificatum maximum cepisse et congiarium dedisse: at in pot. trib. XI nullam fecit largitionem, neque poterant comitia pontificis creandi haberi et simul congiarium dari, cujus adornatio diuturnam moram adferebat. Namque oportebat congiarium, quod princeps se populo daturum esse pollicitus erat (Suet. Aug. 42), edicto proponi, quo plane indicebatur, ad quos largitio perventura esset (Plin. Paneg. 27 [1]); tum tabulae proponendae erant, in quibus nomina omnium, quibus promissum erat beneficium, incisa erant (Suet. Plin.) [2]. Denique ipsa quoque tesserarum divisio satis molestum negotium: Augustus congiarium primum ex Caesaris testamento per curatores tribuum divisit (Appian. B. C. III, 23): idem si postea quoque tenuit, id quod verisimile est, poterat uno die res transigi; sed postea ipsi principes pro tribunali adjuvantibus necessariis vel familiaribus tesseras dividebant (Plin. Paneg. 28), cujus liberalitatis simulacrum permulti imperatorum nummi repraesentant; atque tunc fere complures dies absumtos esse consentaneum est, quod de Claudii congiario testatur Dio C. LX, 25, neque adversatur, quod Plinius scripsit Pan. *adventante congiarii die.* Itaque Augustus congiarium, quod licuit tum demum polliceri populo, cum pontifex creatus esset, una cum ludis aliquanto post dedit aestate ut videtur a. 742, ut fasti in hunc modum redintegrandi sint:

---

1) Ejusmodi edictum ex parte adscripsit Lamprid. Anton. Diad. 2.

2) Nonnunquam inter pollicitationem et divisionem longius tempus praeterlapsum; Trajanus congiarium, quod videtur absens promisisse, dedit, postquam Romam se contulit; cf. etiam Suet. Aug. 42. Item aliquotiens imminutum est, ut Suet. ib. testatur; hinc Plin. Paneg. 25 principem laudat, quod populus totum non partem acceperit, et Jul. Capit. Ant. P. 4 dicit imperatorem dedisse ea, quae pater promiserit.

[*Pr. non. Mart. imp. Caes*]ar pontif. maxim. cre[*atus*]
[*ludos circiensis et*] congiarium populo [*dedit.*]

quamquam etiam *munus gladiatorium* convenit. Quod Dio C. LIV, 29 dicit Augustum ab Agrippa heredem institutum populo viritim centum denarios dedisse, *ὡς καὶ ἐκείνου κελεύσαντος διένειμε*, haud dubie huc spectat, quamquam discrepare videtur: fortasse Augustus Agrippae opibus ad hanc largitionem usus est, quod Dio non satis dilucide enarravit: nam si Augustus eodem tempore Agrippae nomine aliud congiarium dedisset, non credo id eum in hoc indice praetermissurum fuisse. Ceterum notandum est, hoc congiarium ad multo plures homines pervenisse, quam reliquas liberalitates, atque consulto videtur Augustus hic plebem urbanam dicere, cum supra III, 7 plebem Romanam scripsisset: neque latuit hoc graecum interpretem, qui hoc loco *ὄχλον πολειτικὸν*, supra *δῆμον Ῥωμαίων* dedit.

Cap. XVI.

Justo ordine enuntiatorum in priore capite restituto liberalitatem coloniis militum praestitam excipit jam aptissime narratio de his coloniis ab Augusto deductis. Unus hic restat nodus, quem Mommsenus non magis expedivit, quam priores, ac malum factum, quod graeca interpretatio hoc ipso loco labem traxit. Priores enim Chishullo auctore scripserunt: *Ea summa . . . fuit, quam* [*ex*] *collationibus* [*pro*] *praed*[*iis n*]*umeravi*, nisi quod Gronovius conjecit Busbequiana lectione usus *quam pro agris Romanis praediatoribus numeravi.* A Chishullo suspensus Mommsenus edidit: *quam* [*pro*] *collaticis praed*[*is n*]*umeravi*, secutus fere Perrotum, qui //COLLALICIS, nam nimis liberalis Mommsenus, qui tria loca vacua notavit, neque littera sexta I (quam Mommsenus T olim fuisse conjicit), sed L. Mordtm. COEPADICIS, Luc. //COLLA///, Coss. //OLIANVS//. Sed collaticii agri nulli sunt, frustraque Mommsenus interpretationis artificia adhibet ad eam conjecturam tuendam [1]). Praedia haec, quoniam separantur a provincialibus, in Italia coemta esse manifestum est, itaque res ipsa flagitat, ut scribatur: *quam* [*p*]*ro Italicis praed*[*is n*]*umeravi.* Sextam litteram L Perroti exemplum tuetur, IT confirmat Leonardi, qui post Mordtmannum lapide denuo examinato OIIAIICIS enotavit, R denique Busb. suppeditat, quamquam ROMANIS divinavit magis, quam vidit; sed alias quoque PRO et CO confusa sunt, velut V, 23 Perrot PRO, Mordtm. /CO exhibet. Et ad eundem

1) Ficta enim omnino sunt, neque auctoritate ulla munita, quae p. 42 scripsit: „*Collaticia autem cur dicantur, in promptu est. Nam ademptio haec ut quamvis in re injusta, tamen justa ratione fieret, ita peragenda erat, ut ubi quarta territorii pars adimeretur, sui quisque agri partem quartam possessor cederet aut novo colono aut veteri possessori, cui plus quarta parte adempta esset, itaque re omnes conferrent ad quartam territorii partem novis dominis vacuam tradendam.*“

modum etiam Graeca interpretatio refingenda. Haec enim in duobus exemplis [1]) leguntur:

Ap. *ΚΕΦΑΛΑΛΙΟΥΓΕΓΟΝΕΝ///ΘΕΝ///Λ///ΜΥRΕ*

Anc. *ΚΙ Λ* *ΝΤΟΒΝΠ</ΑΜΕΝΜΥΡΙ*

Mommsenus, qui scripsit *κεφάλαιο[ν γ]έγονεν [μερισ]θέν[των] μὲν μύρεαι*, Hauptianum inventum *μερισθέντων* probavit, quamvis concedat interpretem non satis latini sermonis proprietatem servavisse: sed haec conjectura plane reiicienda, nam non solum recedit omnino a litterarum simulacro, verum etiam inutile hoc additamentum orationis perpicuitati officit; nam assignati sunt agri tam in provinciis, quam in Italia, oportebatque dilucide utrumque genus agrorum hic distingui. Scripsi igitur *κεφάλαιον γέγονεν [α]ὐτὸ ἐν Ἰταλ[ί]ᾳ μὲν*, quae interpretatio satis bene conspirat cum latinis verbis, ac pleraque elementa uno alterove exemplo nituntur, utroque enim comparato haec species comparet:

/ΝΤΟΕΝΠ<Λ/ΑΜΕΝ

unde facile recuperari licet:

ΑΥΤΟΕΝΙΤΑΛΙΑΜΕΝ

Quod Augustus de se praedicat, se primum et solum omnium, qui colonias militum deduxerint, pecuniam pro agris solvisse, non videtur vana jactantia sibi arrogavisse. Sane jam Tib. Gracchus eorum qui publicum agrum occupaverant commodis prospexit, deinde Appulejus Saturninus primus ad agrorum emtionem aurum Tolosanum convertendum esse censuit, pariterque Servilius Rullus et paullo post L. Flavius ut adventicia pecunia agri emerentur suaserunt, sed omnes illae rogationes irritae fuerunt; tandem Caesaris lex agraria perlata est a. 695, quae ne quis possessorum injuria expelleretur, etiam agrorum emtionem sanxit: vid. Dio C. XXXVIII, 1. Haec igitur videntur non satis convenire cum ea laude, quam Augustus sibi vindicat. At plane ignoramus, quem eventum hoc legis caput habuerit: nam agros publica pecunia emtos tunc a Caesare assignatos esse nusquam, quod sciam, memoriae proditum est. Quod Caesaris haec beneficia non tantum ad veteranos, sed ad reliquos etiam cives pertinuerunt, cum Augustus militum colonias dicat, equidem non credo hujus diversitatis hoc loco Augustum rationem habuisse. Denique quod Caesar bello civili a. 707 promisit, se si publici agri non sufficerent, alios coemturum esse [2]), veri simillimum est, illum his promissis nunquam stetisse.

Augustus dicit se a. 724 et postea a. 740 pecuniam pro agris, quos veteranis assignaverit, dedisse. Sed non desunt testimonia, quibus si fides habenda est, Augustus jam ante a. 724 agrorum emtione veteres possessores ab injuria et miseriis vindicare studuit. Confecto enim bello Siculo a. 718,

---

1) Quod in utroque exemplo post *χρήματα* iteratur A, manifestus error est, atque hic consensus indicare videtur, Apollonienses ab Ancyranis Indicis exemplum accepisse.

2) Appian. de b. civ. II, 94: *τὴν τοῦ δήμου γῆν ἐπινέμων καὶ τὴν ἐμαυτοῦ, καὶ τὰ δέοντα προσωνούμενος.*

cum militibus dimissis praemia militiae daret, ut Dio auctor est (XLIX, 14), *προσεξεπρίατο ἄλλην τε (γῆν) καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνήν,* verum ipse Dio addit, pecuniam quidem militibus statim numeratam, agros non ita multo post (*οὐ πολλῷ ὕστερον*) assignatos esse: et veteranos quidem haec beneficia proximis annis accepisse consentaneum est, sed pecunia pro his agris videtur municipiis vel possessoribus veteribus post victoriam demum Actiacam soluta esse. Arguit hoc Campanorum exemplum, quibus quidem pro relictis, quae iis plurima erant, nullam omnino videtur pecuniam princeps numeravisse, sed agros in Creta insula concessit et aquam Juliam in urbem perduxit [1]). Creta autem eo ipso tempore in Antonii erat potestate, qui insulae partem Cleopatrae filiis dederat (Dio C. XLIX, 32), itaque Augusto licuit devicto demum Antonio Campanorum necessitatibus satisfacere [2]). Neque dissimilis Neapolitanorum fuisse videtur fortuna: nam cum Augustus Capuam novos colonos deduceret, collem Leucogaeum, qui erat Neapolitanorum, Campanis attribuit, et veteribus possessoribus pro eo annua vicena millia e fisco numerari jussit (Plin. H. N. XVIII, 114): sed Neapolitanis quoque fidem datam post victoriam demum Actiacam videtur exsolvisse.

Secundum indicem haec duobus annis 724 et 740 gesta sunt, quos annos videtur Augustus nominavisse, quoniam pleraeque omnes militum coloniae his annis deductae sunt: sed supplementa his coloniis haud dubie etiam postea adjecta sunt, quae denuo agrorum emendorum necessitatem passim attulisse verisimile [3]): omnino autem non licuit negotia multimodi laboris tam arcto temporis spatio transigere, praesertim a. 724, quo tempore Augustus multis aliis curis occupatus erat neque opibus abundabat, ut con-

---

1) Dio C. XLIX, 14: *καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ἀφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε.* Vellej. II, 81: *speciosumque per id tempus adjectum supplementum Campanae coloniae (propter loci infrequentiam et quod plurimi agri coloniae) ejus relicti erant publici: pro his longe uberiores reditus duodecies sestertium in Creta insula redditi, et aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instrumentum et amoenitatis ornamentum est*, nam ita hic locus redintegrandus esse videtur. Hinc etiam Strabo X, 477 Cnossum in coloniarum numerum refert.

2) Prudenter igitur Dio C. auctor inprimis locuples, ubi haec Campanis concessa beneficia recenset, addit: *ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐγένετο.* Aquam autem etiam aliquanto post Cnossium agrum largitum esse principem Vellejus videtur significare.

3) Neque vero huc retulerim titulum apud Orellium II, 4031, ubi Vespasianus Vanacinis in Corsica insula haec scripsit: *beneficia tributa vobis ab Divo Augusto post septimum consulatum, quae in tempora Galbae retinuistis, confirmo*, nam videntur subseciva dici, quae Augustus illi municipio donavit, quemadmodum in Domitiani epistola de lite inter Falerienses et Firmanos (Orelli II, 3118) adhibetur *Divi Augusti diligentissimi et indulgentissimi erga quartanos suos epistula, qua admonuit eos, ut omnia subsiciva sua colligerent et venderent.* Quod in priore titulo est *post septimum consulatum* spectat eo, quod Octavianus tunc provincias ordinavit, et cum alias senatui permitteret, reliquas sibi reposuit.

tinuo omnium desideriis satisfacere posset: ac Dio Cassius plane dicit postea ex praeda Aegyptiaca pecuniam pro praediis persolutam esse [1]). Atque Augustus quidem cum agrorum assignationem his duobus annis adscripsit, rerum creditarum solutionem prolatatam esse ipse videtur indicare, quamquam fortasse etiam hic indicis locus jam antiquitus vitium contraxit; nam si Augustus scripserat: *in consulatu meo quarto et postea*, *M. Crasso et Cn. Lentulo Augure e t p o s t e a*, poterat oscitantia librarii facile iteratum *et postea* praetermitti.

P. III, 29 [*L. Lentulo*] *M. Messalla consulibus*, abjeci copulam, quam interstitii angustiae non admittunt, ut aliis quoque locis (II. 28. 38. III. 37) *et* omissum est, neque offendit hoc loco variatio, quandoquidem modo *consulibus* modo *cos.* deprehendimus. — P. III, 30 Mommsenus scripsit: *co[nsu]li[bus veteran]os emeriteis stipendís in sua municip[ia remis]i, praem[ia aere n]umerato persolvi*, verborum compositione laborante, nam cum de veteranorum praemiis potissimum agatur, militum missioni secundarius locus conveniens est: id quod non fugisse videtur priores. Itaque oratio in hunc modum conformanda fuit: *co[s. mi]li[tibus], quos emeriteis stipendís in sua municip[ia remis]i, praem[ia n]umerato persolvi.* Perr. CO///II, Chish. Mordt. CONSVLIBVS, quibus non est fides habenda, sed deinde Busb. QVOS integrum exhibet, Mordt. VOS, Perr. cum ceteris OS. Quod Mommsenus ad priorum exemplum dedit *aere numerato*, a latini sermonis proprietate abhorret, cui convenit simplex *numerato*, i. e. *praesenti pecunia*, vid. Beitr. z. lat. Gramm. p. 25. Intercepta sane videntur quattuor elementa, sed hoc indicium incertum; *dinumerato* inusitatum, quamquam *dinumerandi* vocabulo Plautus et Terentius utuntur, *de numerato* recentiores usurpant, sed veterum scriptorum auctoritate destitutum est. Denique hiatum P. III, 32, quem Mommsenus probabiliter expleri posse negavit, sustuli scribendo: *quam in rem seste[rtium] c[irciter] milli[ens et centiens] impendi.* Nam *circiter*, quod solet in computando Augustus addere, satis stabilitur littera C, cujus simulacrum in Perroti exemplo comparet: *et centiens*, cum fere decem loca vacua sint in versu extremo, loco redintegrando plane sufficit. Atque ea summa satis conveniens est: tunc enim Augustus per singulos annos circiter 22,000000 HS in eam rem impendit, ex qua pecunia fere 1900 legionariis militibus praemia poterant persolvi, si singulis duodena millia numerata sunt. Fidem enim plane excedit quod Zumptius divinavit *circiter sexsiens milliens impendi*, neque potest hoc supplementum cum litterarum reliquiis conciliari. Zumptius clausula Indicis VI, 29 usus hanc summam computatione subtiliter facta indagavit, sed jure suo Mommsenus p. 107 contendit ejusmodi computationem satis dubitationi obnoxiam esse.

---

1) Dio C. LI, 4 postquam narravit veterum possessorum plerisque agros provinciales assignatos esse, pergit: *τοῖς δὲ λοιποῖς ἀργύριον ἀντὶ τῆς χώρας, τὰ μὲν ἔνειμε, τὸ δ' ὑπέσχετο,* quid quod sua suorumque amicorum bona praeconis voci subjecit, et cum emptor nullus inveniretur, tamen *τῆς ἐπαγγελίας ἀναβολὴν ἐκ τούτου εὐπρεπῆ λαβών, ὕστερον αὐτὴν ἐκ τῶν Αἰγυπτίων λαφύρων ἀπήλλαξεν.*

Cap. XVII.

Quod Augustus dicit, se quater sua pecunia juvisse aerarium, recte quidem huc referunt Dionis C. locum LIII. 2, sed non recte existimant, eam pecuniam ad ludos propter victoriam Actiacam celebrandos a. 726 datam esse: ludis pro salute principis tunc primum editis sane etiam senatus pecuniae aliquantum suppeditavisse videtur, sed ipse Augustus huic solennitati non potuit sumptum praebere, cf. quae dixi supra p. 39. Neque Dionis verba ad ludos videntur revocanda esse, dicit enim: *ὁ δ' οὖν Καῖσαρ ἔς τε τὰς θεωρίας ἐκ τῶν ἰδίων δῆτα ἀνήλισκε* (h. e. gladiatorium munus et athletharum spectaculum, quae Dio modo c. 1 commemoravit, quaeque Augustus in indice IV, 31 et 33 se suo nomine edidisse testificatur) *καὶ ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα,* inde apparet, tunc Augustum pecuniam ad aerarium detulisse, sed cui necessitati ea pecunia destinata fuerit, non indicavit Dio: nam id agit, ut insignem liberalitatem, quam eo tempore princeps expromsit, illustraret, itaque addit beneficia in plebem quae frumentum publicum accipiebat et in pauperes senatores collata.

In aerarium militare recens institutum Augustus dicit se a. 759 HS milliens et septingentiens detulisse P. III, 35 seq. Hanc summam Mommsenus per annos novem usque ad principis mortem dispertit, ratus eum singulis annis fere 19,000000 HS dedisse: at hoc adversa fronte pugnat cum indicis verbis, quae arguunt Augustum semel eam pecuniam largitum esse, ut ornaret aerarium militare. In errorem inductus est Mommsenus Dionis verbis, qui dicit (LV, 25): *αὐτός τε οὖν συνεσήνεγκέ τινα, καὶ τοῦτο κατ' ἔτος πράξειν ὑπέσχετο.* Neque vero fidem his abrogandam censeo: videtur Augustus, cum eam summam largiretur, pollicitus esse etiam in posterum, si aerarii recens instituti opes non sufficerent, se de suis opibus delaturum esse, verum ut hac necessitate supersedere posset, utque aerarium certis et perpetuis subsidiis niteretur, vectigalia velut vicesimam hereditatum ei addixit.

P. III, 39 pro *detuli* exspectaveram *detulerim*, ac suspicioni huic opitulatur Lucae lectio DETVL///, sed in Perroti exemplo nisi fallor I procera cernitur, itaque structurae immutationem agnosco: nam haec largitio, quae facta est in aerarii militaris commodum, quandoquidem per copulam *et* subjungitur, videtur comprehendi numero quattuor liberalitatum, quibus Augustus aerarium se juvisse supra dixit, ita ut prior summa non quattuor, ut putant, sed tribus tantum largitionibus constet, quas a. 726, 738, 742 factas esse aliunde constat.

Cap. XVIII.

Hujus capituli verba vel detrita vel plane intercepta in integrum restituere difficillimum est, praesertim cum graecae interpretationis subsidio hic quoque careamus. Illud apparet beneficium in plebem, quae publicum fru-

mentum accipiebat, collatum esse: sed statim a principio offensioni est insolens dicendi forma: [*anno*] *q*[*u*]*o Cn. et P. Lentuli c*[*ons*]*ules fuerunt*, namque exspectamus Augustum ut assolet *Cn. et P. Lentulis consulibus* scripturum fuisse. Haec forma tum demum rationem habet, si proximi membri copulatio flagitabat, velut: [*eodem anno et*] *q*[*u*]*o Cn. et P. Lentuli consules fuerunt*, ut Augustus duas largitiones commemoraverit, quas a. 759 et 736 fecit. Atque id ipsa res commendat: nam revera a. 759 urbs annonae difficultate graviter laborabat, neque tunc defuisse principis munificentiam testatur Dio C. LV, 26: *καὶ προσέτι καὶ ἄνδρες ὑπατευκότες ἐπί τε τοῦ σίτου καὶ ἐπὶ τοῦ ἄρτου κατέστησαν, ὥστε τακτὸν ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι· ἐπέδωκε μὲν γὰρ καὶ προῖκα ὁ Αὔγουστος τοῖς σιτοδοτουμένοις τοσοῦτον ἕτερον, ὅσον ἀεὶ ἐλάμβανον.* Hanc liberalitatem Augustum silentio praetermisisse non est verisimile. De anni 736 largitione nihil memoriae est proditum, sed etiam eo anno penuria fuisse videtur, quamquam nolim id inde colligere, quod eo anno Augustus quattuor praetorios frumento dando praefecit, cum antea duo hoc munere fungerentur (Dio C. LIV. 17.) Augustus vero cur hic neglecto temporis ordine priorem liberalitatem posteriore loco recensuerit, in aperto est [1]).

Quod si summam argumenti conjectura probabili assecutus sum, tamen quo pacto loci detrimenta sarciam, incertus haereo, nam plura possunt tentari, velut:

> [*Eodem anno et*] q[*u*]o Cn. et P. Lentuli [*cons*]ules fuerunt, cum def[*i*]cerent [*reditus*, *juvi*], centum millibus h[*omi*]num [*ex meis*] opibus [*emp*]to frumento.

sed minus placet *juvi* nudum poni, ac frugum egestatis famisque mentionem desideramus; quod si scripseris *cum deficerent urbi alimenta*, nullus jam locus est verbo principali, nam hoc enuntiatum verbis *empto frumento* terminari certum est. Ex his angustiis licet evadere, si P. III, 39 in versu dimidiato, qui scriptura vacat, verba quaedam penitus oblitterata esse sumimus. Secundum Mommsenum III, 40 novi capituli initium fit, at haec quoque beneficia ad aerarium pertinent, ac parum est probabile ejusdem anni res gestas temere dirimi. Itaque suspicor Augustum scripsisse:

> [*Et annonae gravitatem sublevavi eo-*]
> [*dem anno et*] q[u]o Cn. et P. Lentuli c[*ons*]ules fuerunt, cum def[i]cerent

---

1) Zumptius quoque duas liberalitates commemorari existimavit, sed quod scripsit:

> [Anno quo M. Claudius et L. Aruntius, et anno, qu]o Cn. et P. Lentulus c[ons]ules fuerunt, cum deficerent [horrea publica, pecuniam] centum millibus h[omi]num [ex meis] opibus [pr]o fru[mento dedi].

omnino improbandum: nam orationis conformatio eodem incommodo laborat, quod Mommseni supplementis adhaeret: praeterea autem quod Zumptius conjecit has liberalitates ad annos 732 et 736 pertinere, non est verisimile priorem denuo commemoratam esse, siquidem Augustus hujus beneficii jam supra I, 32—35 mentionem fecit.

[*opes publicae*], centum millibus h[*omi*]num [*ex*
meis] opibus [*emp*]to fru-
[*mento: id ad fr*]um[*en*]ta[*ria*]s t[*esseras dedi nullo*
p]ret[*io duplic*]an[*das.*]

V. 39 *annonae gravitatem sublveavi* scripsi, quemadmodum in titulo ap. Orell. I. 750, qui Vespasiano imperante incisus est, Plautius Silvanus dicitur *primus ex ea provincia* (Moesia) *magno tritici modo annonam P. R. adlevavisse.* V. 42, de quo restituendo Mommsenus desperavit, litterarum residuarum haec est species:

//////////VM//IΛ//ST////////////////////ET///////ΛI

VM Mordt. (apud Perr. V detritum), IΛ solus Perr.; ST uterque, ET Mordt., III‾ Perrot. Priores nihil prorsus dispexerunt, nisi quod Busb. adnotavit quinque versus desiderari: sed quattuor novissimi versus hujus paginae scriptura vacant, nihil enim desiderari graecae interpretationis quamvis interceptae comparatio ostendit, ut recte monuit Mommsenus [1]). Redintegravi haec adhibito Suetonii loco Aug. 41: *frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit.* Suetonius etiam hic indice usus esse videtur, quamquam praeterea alios, qui rerum ab Augusto gestarum memoriam litteris mandaverunt, adhibuit. Praeterea Graecae interpretationis supersunt novissima verba *ΕΞΕΩΣΕΔΩΚΑ,* quae leni admodum medela licet redintegrare [*ἄνευ καταϑ*]*έσεως ἔδωκα.* *Κατάϑεσιν* enim seriores dicunt, quam Attici *καταβολήν*, vid. Pollux IV, 47. V, 103. Thomas Mag. 212. Haec igitur plane jam testificantur tunc Augustum nullo pretio frumentum admensum esse, et quod Suetonius dicit principem *interdum* hac liberalitate usum esse, satis confirmat meam suspicionem, non unius, sed duorum annorum largitionem in indice memoratam esse. Jam ubi *pretii* vocabulum, in quo cardo quasi rei vertitur, reciperavi litterarum quae supersunt vestigia secutus, licuit probabiliter etiam ceteras litteras haustas revocare: nam de duplicatis tesseris frumentariis dixisse Augustum fidem faciunt elementa residua, ac Dio C. ejusmodi largitionem a. 759 factam esse auctor est.

Adhuc sub judice lis est, utrum gratuito an modico pretio plebes urbana illo saeculo frumentum publicum acceperit [2]); mihi quidem hoc ipso Augusti testimonio ea de re decisum videtur: nam cum princeps frumentum suis opibus emptum aerario donaverit ea conditione, ut homines de plebe praeter frumentationes legitimas totidem nullo pretio acciperent, apparet,

---

1) Mommsen p. XLVII: „*nam Graeca pagina, quae desideratur, recte respondet versibus Latinis sedecim III*, 26—41, *contra si fuissent latini versus viginti, eos una pagina Graeca recipere non potuisset, duae autem Latinis istis non satis explerentur*".

2) Mommsen (Röm. Trib. 186) pretium solutum esse censet, consentiente Reinio (in Pandectis Stuttgardt. IV. 781), gratuito frumentum datum esse censent Kuhnius in Annal. Antiq. 1845, E. Nasse (de publica cura annonae p. 25) et Marquardt Ant. R. III, 2. 108.

pro duodecim frumentationibus annuis pretium a singulis solutum esse. Atque idem hoc testificatur Suetonius: neque enim licet Suetonii verba referre ad frumentum, quod praeter menstruam largitionem negotiatoribus aliisque publice vendi solebat. Quod legimus eo loco, *viritim admensus est*, plane arguit illas ipsas largitiones dici; neque reapse Augustus in annonae caritate pauperibus opitulatus esset, si publicum frumentum negotiantibus levissimo vel nullo pretio donavisset: princeps prudens et liberalis vesanam prodigentiam omnino procul habuit [1]). Augusti igitur saeculo plebs frumentaria pro tesseris legitimis semper pretium solvisse videtur; in difficultate annonae duplicatae sunt tesserae, eaeque levissimo, vel interdum nullo pretio viritim datae: nam cum LX modii familiae alendae nullo modo sufficerent, beneficium hoc satis gratum acceptumque multitudini. Suetonius igitur explicandae rei gratia, cum Augusti liberalitatem in frumenti pretio constituendo laudasset, subjecit: *tesserasque nummarias duplicavit:* spectant haec non tantum tesseras extra ordinem gratis distributas a. 736 et 759, sed etiam congiarium a. 731, quo anno princeps duodecim frumentationes frumento privatim coempto emensus est (Ind. III, 10). Quadruplicatas esse tesseras a. 726 memoriae prodidit Dio C. (LIII. 2); bello enim Actiaco composito cum Augustus opibus abundaret, omni modo laborantibus auxiliari studebat: hujus autem largitionis cum in indice nullam fecerit mentionem [2]), tunc minimum pretium his tesseris extraordinariis videtur statutum esse. Etiam a. 759 in maxima annonae difficultate, pecuniam pro legitimis tesseris solvendam plebi non esse remissam Dio docet LV, 26: *ὥστε ταχτὸν (σῖτον) ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι· ἐπέδωκε μὲν γὰρ προῖκα ὁ Αὔγουστος τοῖς σιτοδοτουμένοις τοσοῦτον ἕτερον, ὅσον ἀεὶ ἐλάμβανον.* Non licet haec ad negotiatores referre, quibus certum frumenti publici modulum emere licuerit, nam in tanta penuria vix necessitati publicae frumentum suppetebat, sed mirum accidit, quod Dio animadversione dignum existimaverit pretium pro tesseris solutum esse, siquidem haec pecunia nunquam remissa est: equidem credo tunc novo exemplo institutum esse, ut etiam senatoriis viris et equitibus liceret tesseras frumentarias emere, hinc Dio dixit *ταχτὸν ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι,* sed Augusti beneficium tantum plebi (*τοῖς σιτοδοτουμένοις*) concessum est.

Apud Suetonium autem *tesserae nummariae* cur dicantur, admodum ambigunt homines docti [3]), neque probabilis explanatio in promptu est. Mihi

---

1) Tiberius, qui a largitionibus abhorrebat, in annonae caritate pretium leve statuit, quod emptor penderet mercatori, pollicitus se negotiantibus binos nummos in singulos modios additurum esse, Tac. Ann. II, 87. Pariterque Nero frumenti pretium edicto temperavit, Tac. XV, 39.

2) Fortasse aliquis conjiciat pecuniam, quam eo ipso anno 726 Augustus ad aerarium detulit, (vid. ad III. 34) destinatam fuisse huic frumentariae largitioni; sed quadruplicatarum tesserarum tam grandis erat impensa, ut non conveniat cum modica summa, quae III, 34. 35 indicata est.

3) Mommsenum credo argutam explicationem, quam olim proposuit (R. Trib. 199)

quidem hoc vocabulum omnino de vitio suspectum est, nam nummaria tessera ea tantum dici poterat, qua tradita quis pecuniam accipiebat, velut in muneribus edendis inter missilia etiam ejusmodi tesserae videntur passim divisae esse; item iis, qui congiarium accipiebant, tesserae datae sunt, quamquam earum apud scriptores, quod sciam, nusquam fit mentio [1]). Verum a frumentaria largitione hoc plane abhorret: nam si pauperum quotidianum victum sublevare placuit, incredibile est, pecuniam datam esse, qua publicum frumentum emerent, cum liceret frumentarias tesseras gratuito dispertiri. Quare existimo mendosum esse vocabulum, ac Suetonium scripsisse *tesserasque frumentarias duplicavit*, ut jam plane cum Augusti indice consentiat [2]). Quod Augustus dicit se centum millibus hominum frumentum emisse, significat se 6000000 mod. comparavisse: tot enim modii alimentis C mill. hominum sufficiebant: neque tamen ex ea copia tesserae plebis frumentariae per annum duplicari poterant, sed consentaneum est, hoc beneficium iis mensibus anni, quibus fames saevissima erat, datum esse. Quanta autem hujuscemodi largitionis fuerit impensa, colligere licet ex caritate annonae, quam a. 759 Hieronymus testificatur [3]).

---

jam ipsum improbare, E. Nasse p. 29 nihil discriminis inter nummarias et frumentarias tesseras intercedere censet, Marquardt III, 2, 103 pretio emptas interpretatur, sermonis latini usu et ratione adversante, contra Rein IV. 780 gratuitas esse censet, quae nummorum vice fungerentur.

1) In nummis, ubi ipse imperator congiarium distribuit, adstat Liberalitas tesseram tenens, velut Hadriani, Antonini Pii, L. Veri, Alexandri Severi, aliorum nummi repraesentant. Neque vero ipse princeps sua manu pernumeravit pecuniam, sed singulis tesseram dedisse censendus est. Atque ad congiarium referenda videtur tessera (apud Orell. II, 3360), sed ea frumentaria, non nummaria est. Nero ludis maximis etiam frumentarias tesseras distribuit, Suet. Ner. 11.

2) Tributim frumentum divisum esse quod statuunt, satis incertum est; nihil certe probat titulus apud Gruterum (201, 10), quem Mommsenus (Trib. p. 196) conjectura non satis probabili ad frumentationes publicas rettulit, nam is haud dubie aliorsum spectat: numerus enim locorum, quae singulis tribubus in amphitheatro aliquo designata fuerunt, indicari videtur.

3) Ad hunc enim annum referendum quod est in Chronico Hieronymi: *fames Romae ita ingens facta, ut V modii venderentur denariis XXVII semis.* Perperam Eusebii metaphrasis Armenia *modium unum* pro *modiis V* exhibet. Annonae pretium cum prioribus saeculis admodum jactaretur, satis difficile est mediocritatem probabili rationem adsequi, praesertim cum fere summa aut vilitas aut caritas annalium monumentis prodita sit. Ultimo reipublicae Romanae tempore tritici modium fere III sest. veniisse aestimant (Marquardt A. Rom. III, 2, 46 et 89 seq.), equidem Augusti et subsequentium imperatorum saeculo pretium mediocre IV vel V sest. fuisse credo, quandoquidem congiaria modica ab his imperatoribus data fere LX vel LXXV denarium fuerunt, ita ut singulis annua alimenta suppeterent, quemadmodum ex testamento Caeliae Macrinae (Bulletino Inst. Arch. 1839, 153) Terracinensium pueris alimentorum nomine singulis in menses singulos V denarii, puellis IV dantur. Ita Augustus 710

Cap. XIX.

Cum hoc capite conferenda sunt, quae Suet. Aug. 29 exposuit. Interpres latini exempli verba (IV, 4) *eodem in loco* praetermisit, idem merito culpandus esset, si indicis verba: *aedem Larum in summa sacra via, aedem deum Penatium in Velia* vertisset: *ἡρῷον πρὸς τῇ [ὁδῷ, ναὸν] θε[ῶν κατοι]κιδίων ἐν Οὐελίᾳ*, quemadmodum Mommsenus supplevit. Nam *Lares* quidem graece *ἥρωες* dicuntur [1]), ut est in glossariis *ἥρωες· Lares*, vel *Lares: θεοὶ κατοικίδιοι* (cf. exc. ex Charis. p. 548, Priscian. V. 13 ubi in aliquot codd. additum: *Lar, quando significat κατοικίδιον θεόν*) et *Lares familiares: ἥρωες κατοικίδιοι*. Dionys. Hal. IV. 2 *τὸν κατ' οἰκίαν ἥρωα* interpretatur, Plut. de fort. Rom. 10 *ἥρωα οἰκουρόν*, sed *ἡρῷον* aedem Larum esse nemo

(vel postea) ex Caesaris testamento LXXV den. plebi viritim numeravit, a. 749 LX den., et totidem rursus a. 752 ut videtur propter C. et L. Caesares in forum deductos; cf. Dionis C. locum inprimis notabilem de C. Caligula LIX, 2: *καὶ προσέτι τὰς ἑξήκοντα κατ' ἄνδρα δραχμάς, ἃς ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐσγραφῇ οὐκ εἰλήφεσαν, μετὰ τόκου πεντεκαίδεκα ἄλλων δραχμῶν ἀπέδωκε.* Denique Augustus legavit plebi viritim LXXV den., ut Dio LVI, 32 refert, (ubi corrigendum *κατ' ἄνδρα* vel *κατὰ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δραχμάς*), qui quod dicit LVII, 14 Tiberium distribuisse *κατὰ πέντε καὶ ἑξήκοντα δραχμάς*, ibi haud cunctanter *ἑβδομήκοντα* restituo: namque insolens numerus LXV den.; atque Augustus etiam hac in re Caesaris exemplum videtur secutus esse. Sane vel sic Dionis narratio adversatur iis, quae Suetonius et Tacitus de Augusti testamento memoriae prodiderunt, principem plebi 3,500000 HS dedisse: sed adeo modicum beneficium liberalissimum principem legavisse non adducor ut credam. Mommsenus (röm. Tribus 195) ut pugnantia inter se conciliaret existimat Tiberium etiam quadringenties HS, quae Augustus populo i. e. aerario destinaverat, distribuisse, sed hoc est clavum clavo trudere, si sumimus Tiberium mortui voluntatem rescidisse, ut sordidae parsimoniae crimen ab Augusto averteret. Equidem credo pariter utriusque scriptoris locum vitiatum esse; legitur apud Tacitum I, 8: *legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringenties tricies quinquies ... dedit*, ubi vel confusio utriusque legati offendit; scribendum, *populo (quadringenties) et plebi quadringenties tricies quinquies*. Numeri ejusdem repetitio librarios fefellit. Atque ad eundem modum corrigo Suetonianum locum Aug. 101: *legavit p. R. quadringenties, tribubus (quadringenties) tricies quinquies sestertium.* Uterque autem eodem auctore usus est: nam Augustus non eam s[um]mam destinavit, sed plebei viritim certum nummorum numerum legavit, cf. Tacit. A[nn.] XIII, 31, nam Dionis locus (LIX, 2) de Tiberii testamento manifesto vitio laborat, certa conjectura damnum resarcire licet: *καὶ τῷ δήμῳ τάς τε πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑ[...] καὶ χιλίας μυριάδας, τοσαῦτα γὰρ αὐτῷ κατελείφθησαν, τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ [πλή]θει κατὰ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δραχμάς, καὶ προσέτι κτλ.* cf. LVI, 32. Tiberiu[s] tem neque statim solvit plebi legatum (Dio LVII, 14) et ut parce tam rem pub[licam] quam familiarem administravit, numerum quoque congiarium illud accipientium [...]tum redegit: nam si Augustus singulis LXXV den. legavit, et CCCCXXXV HS [...]rata sunt, beneficium illud ad millia hominum CXLV pervenit. Historiarum scriptor, quem Tacitus et Suetonius sequuntur, adscripsit non ipsius testamenti [...] sed summam pecuniae a Tiberio numeratam substituit.

1) Cicero scripsit dubitanter, sed non inscite de universo c. 11: *reliquor[um] [...]tem, quos Graeci δαίμονας appellant, nostri ut opinor Lares, si modo hoc recte con[...] videri potest.*

poterat divinare, neque sacram viam graece *ὁδὸν* interpretari licuit, quandoquidem ne Romani quidem uno *viae* vocabulo defuncti sunt. Sed hoc negligentiae crimine facili negotio liberabimus metaphrastam, scribendum: *ἡρώων πρὸς τῇ [ἱερᾷ ὁδῷ], θεῶ[ν κατοι]κιδίων ἐν Οὐελίᾳ*, namque *summa* additum interpres neglexit [1]). In lapide est *ΗΡΩΟΝ*, sicut rursus *ΘΕΟ* scribitur, perpetua harum litterarum confusione. Emendationem plane confirmant quae infra leguntur VI, 33: *Larum, deum Penatium*, ubi interpres *ἡρώ[ων, θεῶν π]ατρίων*, quemadmodum Franzius supplevit probante Mommseno, nam illo loco minus etiam ferri potest *ἡρῷον*. Penates interpres supra *θεοὺς κατοικιδίους* appellat, ut recte restituit Bormannus, quemadmodum est in glossario Graecolat.: *Penates θεοὶ πατρῷοι, κατοικίδιοι*, infra *θεοὺς πατρίους*, quemadmodum Plutarch. v. Coriol. 28 alii *θεοὺς πατρῴους* vocant. Neque vero ex hac diversitate colligendum, clausulam indicis ab alio interprete adjectam esse: nam Graeci quo modo verterent hoc nomen valde ambigebant, v. Dionys. A. R. I, 67: *οἱ δὲ ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ γενεθλίους· εἰσὶ δ᾽ οἳ κτησίους, ἄλλοι δὲ μυχίους, οἱ δὲ ἑρκείους.*

Cap. XX.

Pompejum theatrum, quod dictum est ad eundem modum, quo *porticus Octavia*, *curia Julia*, alia id genus, a Zumptii dubitatione jure defendit Mommsenus. Inanis subtilitas Frontonis de differ. vocab., qui haec praecepit: *Pompeji porticus, si possidet, Pompeja si publicavit, Pompejana si in alterius dominationem venit.* Graecus interpres perperam *impensa grandi* rettulit ad verbum *refeci:* quod si sequimur, tum *utrumque opus* plane otiosum esse apparet. Usitatior sane patrius casus, quem Graecus sermo desiderat, etiam Latinis, sed variant structuram adeo, ut passim utroque casu pariter sint usi, velut Corn. Nepos in Datame c. 3: *hominem maximi corporis terribilique facie* dixit.

Capitolium et Pompeji theatrum quo tempore refecerit Augustus, non est memoriae proditum, sed probabiliter Capitolii reparationem Zumptius ad a. 745 rettulit, usus Dionis C. loco LV, 1: *πολλὰ μὲν γὰρ ἄλλα καὶ χειμῶνι καὶ κεραυνοῖς, πολλοὶ δὲ καὶ ναοὶ διεφθάρησαν, ὥστε καὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίνου τῶν τε συννάων αὐτοῦ κακωθῆναι,* ac fortasse eadem tempestas etiam Pompei theatrum devastavit. Mommsenus quod renuit, non miror, sed minime audiendus, quod refert ad curam aedium reficiendarum a. 726 Augusto demandatam (vid. Ind. IV, 17. 18): nam quod Augustus nominatim ac seorsim Capitolium et Pompejum theatrum dicit, satis est documento, haec duo opera alio tempore esse restituta, neque curam a. 726 huc spectare.

---

1) Pomaria summa sacra via, ubi poma veneunt, memorat Varro de r. r. I, 2, 10; cf. etiam de l. l. V, 47.

Quod in latino exemplo est IV, 13: *coepta profligataque opera* metaphrasta uno vocabulo reddidit */ΙΕΛΗΜΕΝΑ*, id est [*καταβ*]*εβλημένα*, quod graeci sermonis proprietati convenit, non *ἐπιμεμελημένα*, ut scripsit Mommsenus. Idem paulo post edidit: *τὴν αὐτὴν βασιλικὴν* [*καταφλεχθεῖσαν αὐξηθέντι τῷ*] *ἐ*[*δά*]*φει* [*αὐτ*]*ῆς* . . . . *ἐ*[*πηρξάμην*. At *αὐξηθέντι τῷ ἐδάφει αὐτῆς*, ut congruit cum latinis verbis *ampliato ejus solo*, ita graeci sermonis legem migrat: neque enim licet adhibere *ὑ π ά τ ο ι ς*, quod sane ad latini sermonis exemplum novatum est, sed rationem habet, nam Graeci similiter *καινοῖς τραγῳδοῖς* dicunt. Hoc loco aut *ἐν ηὐξημένῳ τῷ ἐδάφει* dici oportebat abjecto *αὐτῆς*, aut quod multo praestat [*αὐξήσας τὰ*] *ἐδάφη αὐτῆς*, haec enim elementa notata sunt *ΕΛΛΦΕΙΝΙΙΗΣ*. Usitatius sane *τὸ ἔδαφος*, sed etiam plurativus auctores habet, velut Appian. B. C. IV, 3 *ἐδάφη* i. e. *fundos* dixit.

P. IV, 17 [*ex auctoritate*] *senatus*, quod interstitium plane explet, scribere malui, quam *ex decreto senatus*, deinde dedi: *quod* [*eo*] *temp*[*ore refectione egebat*] secutus graecam interpretationem: [*ὅς ἐν*] *ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐπισκευ*[*ῆς ἐ*]*δεῖ*[*τ*]*ο*, atque Frontin. de aquis 109 opera dilabentia *auxilio egere* dixit. Mommsenus edidit: *quod eo tempore refici oporteret*, ubi certe *oportebat* scribendum. *Refectionem* praeoptavi, ut est apud Sueton. Caes. 15: *Q. Catulum de refectione Capitoli ad disquisitionem populi vocavit* et apud Vitruv. VI, 3, 2: *habent in refectionibus molestiam magnam*; *reparatio*, quod in titulis (velut Romae in thermis Constantinianis Orelli I. 1147: *desperationem cunctis reparationis adferrent*) et apud proletarios scriptores legitur, vocabulum novicium videtur. In graeca autem metaphrasi dedi [*οὐ*]*δένα π*[*ερι*]*ιδ*[*ών*], ubi in lapide est *ΔΕΝΑΙ////ΙΑ*. Mommsenus scripsit *περιλιπών*, cujus formae exemplum desidero. Ceterum Augustum etiam deinceps templis reficiendis sedulo operam dedisse docet Tacit. Ann. II, 49, ubi recenset aedes, quas vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto Tiberius dedicaverit [1]).

P. IV, 19 Mommsenus scite emendavit:

co[*nsu*]l septimum viam Flaminia[*m ex*] ma[*nibiis*] Ar[*imino tenus et in ea pontes*]

o[*mnes*] praeter Mu[*l*]vium et Minu[*c*]ium [*refeci.*]

adhibito Suetonii loco Aug. 30: *Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* Et *Arimino* quidem *tenus* verissime revocavit Mommsenus, sed quod scripsit [*ex*] *man*[*ibiis*], huic emendationi adversatur Perroti simulacrum FLAMINIA/M*ΛΙ*////ARI, ubi unum non tria elementa oblitterata esse certum est, ac Mordtm. FLAMINIAM

---

1) Eodem loco Tacitus complures a Tiberio senatu motos esse dicit, ubi Vibidii Varronis nomen, quod libri exhibent, haud scio an labem contraxerit; nam videtur V i r r o vocitatus esse, cf. titulum Atticum Ephem. 4011, in quo Sextus Vibidius Virro statuae honore *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας* decoratur.

integrum exhibet. Itaque scripsi: *viam Flaminiam mun[ivi] Ari[mino tenus, pontisque in ea omn[is] praeter Mu[l]vium et Minu[c]ium [refeci]*, et ad eundem modum Graeca refinxi. Litteras MΛI, cum Perrotus solus dispexerit, evanidas esse consentaneum, facile igitur V et Λ permutari poterant; idem Perrotus solus exhibet O/\// i. e. OMNIS. Extremo loco utrum *feci* an *refeci* sit addendum ambigas: prius commendant alii tituli, velut Claudii principis ap. Orellium I, 711: *Viam Claudiam Valeriam munit idemque pontes fecit*, sed alibi qui vias vetustate dilabentes ad pristinam faciem revocandas curant, *vias et pontes restituisse* dicuntur, velut Orelli I. 937. Graecus interpres, qui nominibus pontium omissis orationem liberius conformavit: ἔξω δυεῖν [τ]ῶν μὴ ἐπ[ι]δεομένων ἐ[π]ισκε[υ]ῆς ἐποίησα (in lapide est *MIEI/ΔEOMENON*, Mommsenus μήπω δεομένων, praetuli quod Bormannus μὴ ἐπιδεομένων proposuit) quamvis ἐποίησα scripserit, non tam *feci* quam *refeci* commendat, nam inde suum μὴ ἐπισκευῆς ἐπιδεομένων repetiit.

Ipsum Augustum viam Flaminiam ex pecunia manubiali munivisse neque Suetonius neque Dio (LIII, 22) dilucide testantur, sed verisimile est, cum haec acta sint a. 727 secundum Dionem, quo tempore belli Actiaci praeda amplissimas opes principi suppeditabat. Ac videtur id confirmare titulus Arcus Ariminensis, quem sub finem ejus anni senatus ac populus R. decrevit Augusto (Orelli III 5360), qui in hunc modum redintegrandus videtur: *V[ia Flamin]ia [ab eo munita, e]t [stratis] celeberrimeis Italiae vieis consilio [et jussu ej]us, [votis red]diteis* [1]); nam duces cum victoria parta ex manubiis opus aliquod faciunt ac dedicant, vota, quae profecturi in bellum nuncupaverant, reddunt ac persolvunt [2]); spectat autem hoc additamentum tam ad principem quam ad viros triumphales. Dio minus recte Augustum senatoriis viris [3]) de propria pecunia vias sternendas distribuisse dicit et in medio relinquit, utrum publica impensa an ipsius Augusti munificentia viae refectae sint (ἐπειδὴ μηδεὶς τῶν βουλευτῶν ἡδέως ἀνήλισκεν); narrat enim, viam Flaminiam statim munitam esse, ut Augustus, qui iter in Galliam et Hispanias parabat, ea uti posset, senatorios viros cunctatos esse: αἱ δὲ ἄλλαι ὕστερον ἐπεσκευάσθησαν. At titulus ille docet celeri opera a. 727 omnes illas vias refectas esse. Neque postea viam Flaminiam neglexit Augustus,

---

1) Neque Borghesii neque Mommseni supplementa satisfaciunt; ille scripsit: *consilio [et opera ei]us [munitum tra]diteis*, ubi offensioni est, hunc honorem habitum esse Augusto non solum ob praesentia, sed etiam ob futura merita. Mommsenus correxit: *vieis . . . consilio [eius populi] us[ibus red]diteis*, at viae neglectae quidem atque corruptae erant, neque vero usus earum interclusus, neque ipsa vocum copulatio inoffensa est. Ego post *et* inserui *stratis*, nam in exemplo Henzeniano hiatus est, quem Mommsenus praetermisit.

2) Ut est in ind. I, 24: *[votis, quae qu]oque bello nuncu[param, reddit]is*. Ovid. Trist. III, 12, 45: *I, precor, auditos possit narrare triumphos Caesaris, et Latio reddita vota Jovi.*

3) De Agrippa addit LIII, 23: ὁδὸν μὲν γὰρ οὐδεμίαν ἐπισκευάσειν ὑπέσχετο.

ut ostendit titulus pontis Ariminensis, quem Augustus a. 767 et postea Tiberius restituerunt (Orelli I, 604.)

Cap. XXI.

P. IV, 21 utrum: *Martis ultoris templum* [*f*]*orumque Augustum* [*ex mani*]*biis feci* an *de manibiis* sit scribendum, ambigi potest, pariterque IV, 23 verba mutilata *dona* /// *manibiis* . . . *consacravi* eandem dubitationem admittunt; namque *de* satis usitatum, ut est in antiquis titulis Tusculanis (C. I. L. I, 63 et 64) *militare de praidad dedet*, in Munatii Planci titulo (Orelli 590): *aedem Saturni fecit de manibis*, in Marii elogio (C. In. L. I. p. 290): *de manubiis Cimbric. et Teuton. aedem honori et virtuti victor fecit*, Vitruv. V. 5, 8: *Mummius de manubiis ad aedem Lunae dedicavit*, Florus I, 7: *de manubiis captarum urbium erexit templum*, Suet. Tib. 20: *dedicavit de manubiis;* item Livius XXXVI, 2: *donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia*, *quantam senatus decreverit*, et sic saepissime *de sua pecunia*, alia id genus. Verum cum supra P. III, 8 et 17 integrum exstet: *ex bellorum manibiis dedi,* hic quoque secutus Mommsenum *ex manibiis* restitui [1]), et ad eundem modum III, 51 [*ex meis*] *opibus*, quandoquidem IV, 53 *exque ea pecunia* . . . *posui* legitur. Omnino adnotandum, nusquam in hoc índice voculam *de* legi, nisi quod P. II, 12 certa ut opinor conjectura *de me* revocavi, quod non casu accidisse videtur: omnino enim usus hujus praepositionis, quam admodum frequentant antiquiores scriptores atque etiam ad verba componenda lubenter adhibent, postea multo arctioribus finibus circumscriptus fuit. Itaque Augustus maluit scribere IV, 3: *quam sum appellari passus ex nomine ejus*, (cf. Cic. de Offic. III, 16, 66. Sueton. Aug. 31) quam *de nomine*, velut est apud Lucretium VI, 908 *quem magneta vocant patrio de nomine Graji*, adde praeterea Ovid. Fast. III. 76. 77, Virg. Aen. I, 277. 367. III, 18. VIII, 54, sed idem suo jure VI. 234: *qui nunc Misenus ab illo dicitur.* Quantopere recentiores hac in re a veterum consuetudine abhorruerint, ostendunt satis superque pagellae, quae libello Terentii Scauri de orthographia [2]) subjectae sunt, quas Lachmannus

---

1) Etiam in Trajani titulo, quo Gellius XIII, 25, 1 utitur, *ex manubiis* legebatur, item Vell. II, 40 scripsit: *in aerarium ex manubiis intulit.*

2) Mihi quidem tertio saeculo grammaticus nescio qui priorum copiis usus videtur hoc opusculum concinnavisse. Terentii Scauri nomen, quod praemissum est libello, fortasse relictum ex subscriptione praecedentis libelli de litteris novis, h. e. de litteris a Claudio imperatore additis. Fortasse aliquis credat, non esse verisimile Hadriani saeculo de litteris jam obsoletis, de quibus ipse Claudius commentarium edidit (Suet. Claud. 41), quemquam scripsisse: sed non inutilis talis opera, siquidem Claudius, ut Suetonius asserit, obtinuit princeps, ut in usu promiscuo quoque hae litterae essent „*extat talis scriptura in plerisque libris* (*ejus saeculi*, *in*) *ac*(*tis*) *diurnis titulisque operum*“ ita enim hunc locum redintegrandum censeo. Cf. etiam Tacit. Ann. XI, 14, quem locum Nip-

ad Lucretium p. 186, cui assensi sunt A. Wilmanns et Usenerus [1]), ad Varronem referendas esse censuit, perperam ille quidem; nam futilia novicii magistri commenta prorsus indigna sunt Varrone [2]), homine doctissimo, quem decebat quaerere, cur *de senatus sententia*, sed *ex senatus consulto* diceretur, neque vero illud tanquam vitiosum rejicere. At iste litterator non dubitat reprehendere, qui *de provincia venire*, *de navi exire* vel *de senatu redii*, *de senatu ejectus*, scripserunt, nihil curans neque ipsum Varronem (de l. l. VIII, 39: *transitus de casu in casum*, quod variavit 42 *transire e casibus in casus*) neque Ciceronem, latini sermonis arbitrum acutissimum, qui scripsit *de provincia decedere* (Verr. II, 2, 20, de Leg. III, 8), *exire de triclinio* vel *de cubiculo* (de Or. II, 65) et rursus *ejicere de civitate* (pro Archia 9) vel *de collegio* (ad Q. Fr. II, 5). Item improbat *de tabulis dicere*, *de scena loqui*, quamvis praeter commentarium anquisitionis ap. Varron. de l. l. VI, 91: *comitia edicere de rostris*, Cicero pro Flacco 15 *de tabulis publicis recitare* scripserit, in Verrem II, 2, 38 *de sella ac tribunali pronun-*

perdeius Mus. Rhen. XVII, 437 conjectura probabili restituit, sed possunt etiam alia tentari. Illud certum, libellum de litteris novis, cui scriptor hic suum adglutinandum censet, alienum esse. nam isto saeculo quemquam de his litteris commentatum esse, aegre credas; misit ille grammaticus exemplum libelli oblivione obruti, quem forte nactus erat, ad amicum, isque obtemperans admonitioni huic libello subjunxit commentariolum de orthographia.

1) Usenerus, qui nuper in Mus. Rhen. XXIV, 14 seq. de ea re commentatus est, alia praeterea Varroni vindicare studuit, velut puerilia praecepta de formarum *ex* et *ē* discrimine, quae jam Parisinus grammaticus consuetudini adversari prudenter monuit: puerilia dixi ista, quoniam sine dilectu et neglecto usu sermonem exigit ad legem, quam jam Cicero Or. 48 sanxit. Scilicet non cogitavit Usenerus veteres integram formam omnino praeoptavisse, quid quod nonnulli scriptores formam E nusquam videntur admisisse. Si Varronis haec esset doctrina, ipse praeceptorum suorum plane immemor fuisse censendus esset, namque veterem ut par est consuetudinem secutus EX frequentat, multo rarius laeviorem, quae videtur, formam adhibuit, velut de l. l. V, 108 et 109 *e quis*, *e terra*, *e liquore* et promiscue *e jure* et *ex jure* leguntur. Usus ea in re quantum valeat, intelligi potest ex eo, quod Varro constanter si recte memini, *ex quo* et *ex qua*, sed *e quis* dicit. De Virgiliana consuetudine cum Wagnerus, de Lucretio quaedam Lachmannus monuisset, nuper Nevius (Lat. Formenl. II. 537 seq.) de communi usu plenissime exposuit, sed ad temporum diversitatem et peculiarem singulorum usum minus advertit animum. Non magis Varronis sunt quae leguntur in Servii libello de accentibus, quae fortasse repetita sunt ex appendice Censorini, unde Cassiodorus subtilem disputationem ad musicam disciplinam pertinentem se transscripsisse dicit (de mus. p. 1120 ed. Aurel. All.)

2) Velut *senatum habere apud aedem Apollonis* (de hac forma dixit Ritschelius in Mus. Rhen. XII, 476) improbat, *in aede* requirens; solent autem promiscue *ad aedem* et *in aede* dicere, vide Ciceronis et Livii locos apud Bekkerum A. R. I. 605; ineptit, cum dicit eos, qui tabulas transscribant, non *describere*, sed *exscribere*: nam etiam si concesseris diversae notionis esse *describere* et *exscribere* ut iste contendit, quod quidem non est concedendum, is qui tabulas publicas transscripsit sollerter chirographum sex primorum imitatus (Cic. de nat. D. III, 30), tabulas quales erant descripsit: neque alius locus in orat. pro Cluentio c. 14 illi commento favet.

tiare [1]) et saepius *de scripto dicere*, vel *de scripto praeire*, *de epistola recitare*, denique Cornelius Nepos vit. Timol. 4 narraverit illum in theatrum venisse, cum populi concilia essent, propter adversam valetudinem jumentis vectum, *atque ita de vehiculo, quae videbantur dixisse*. Mirum igitur eum, qui voculam *de* tantopere oderit, *dempta de capite* potius quam *a capite* commendare. Pueriliter denique iste litterator, qui latini sermonis consuetudinem emendare sustinuit, contendit vitiose quosdam inscribere litteris *e Gallia*, cum sit dicendum *in Gallia*: „*dantur enim in loco*, *afferuntur e loco*". Satis superque constat Ciceronem utrumque dixisse, *in Sinuessano*, sed frequentius *Dyrrhachio*, *Thessalonica*, *ex Arpinati*, *de Tarentino*, *ex castris*, *ex itinere*; atque utrumque rationem habet, scribuntur litterae in loco, velut est ad Att. III, 8: *Brundusii proficiscens scripseram ad te*, dantur e loco, ut ib. V, 17: *litteras datas a littoribus Britanniae* et *litteras habebam Epheso datas*, vel VII, 16: *litteris*, *quas Capua dedi*. Denique non esse Varronis has ignobilis ludi magistri ineptias argumento sunt haec: *pro rostris dici oportet*, *cum is qui contionatur iis dicit qui ante rostra sunt*; nam Varro translatitio more haec et alia id genus explanavit, quem sequitur Verrius Flaccus, vid. Fest. p. 246: *pro censu classis juniorum Ser. Tullius cum dixit in descriptione centuriarum*, *accipi debet in censu*, *ut ait M. Varro in l. VI rerum humanarum*, *sicuti pro aede Castoris*, *pro tribunali*, *pro testimonio*; et p. 226: *pro sententia*, *ac si dicatur in sententia*, *ut pro rostris id est in rostris*, quibus similia leguntur p. 229; quamquam fidem habeo Gellio XI, 3, qui censet errare, qui has dictiones aut omnino similes et pares aut usque quaque diversas existiment: sed eo magis aegre ferimus grammaticum eruditum veteris orationis usum noluisse nobis aperire, neque licet haec in praesentia perstringere, nam qui carbones pro thesauro venditant, jam nimis diu nos morati sunt.

Vocula *de* quemadmodum sensim de loco suo dejecta vel certe arctioribus finibus circumscripta sit, plene explicare non est hujus loci, unum exempli gratia seligam. Verbum *triumphandi* solet antiquitas cum hac ipsa vocula copulare, velut *de Samnitibus* et alia id genus [2]), quandoquidem prioribus saeculis omnes Italicae nationes deinceps devictae sunt; postea ubi extra Italiam alias ex aliis terras ac regiones subegerunt, de his dicebant *triumphare ex Sardinia*, *ex Asia*; verum de gentibus atque regibus externis

---

1) Item Cicero in Verrem scripsit II, 3, 40: *agebantur de sella ac de loco superiore* et II, 5, 7: *ad se vocari et de tribunali citari jussit*, sed idem ad Atticum III, 8: *et ex superiore et ex aequo loco sermones habitos*, quemadmodum scripsit Suetonius secundum sui saeculi consuetudinem Tib. 33: *aut e plano aut e quaesitoris tribunali admonebat*, quamvis juris consulti more veterum *de plano* dicere non dubitaverint.

2) Cum hac latini sermonis consuetudine componas epigramma adespoton Anth. Plan. I, 6: *Κινοδίᾳ τὰ λάφυρα κατὰ θρασέος Κιρράδα καὶ τέκνων καὶ ὅλας γᾶς ἔθετ' Ὀδρύσιδος*, in quibus versibus me Alcaei Messenii spiritum agnoscere monui Poet. Lyr. p. 967, sed aliud simile exemplum non est ad manum.

cum victoria reportata esset, praepositio DE suum aliquamdiu obtinebat jus; sed mox hic quoque cessit vicariae EX, velut Livius XL, 34 *ex Liguribus Ingaunis*, ib. 45 *ex Aetolis*, XLI, 28 *ex Celtiberis ovans* scripsit, ut possis tueri quod est apud Vell. II, 30 *Metellus et Pompejus ex Hispanis triumphaverunt*, sed probabiliter corrigunt *ex Hispaniis*, quamquam Vellejus infra II, 121 *ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum* scripsit. Idem vero Livius eodem libro XLI, 7 tralaticio more: *triumphi deinde ex Hispania duo acti: prior Sempronius Gracchus de Celtiberis sociisque eorum, postero die L. Postumius de Lusitanis aliisque ejusdem regionis Hispanis triumphavit.* Similiter in elogiis variatur: in elogio Valerii Maximi (C. In. L. I, p. 284) est *de Sabinis et Medullinis*, in Luculli titulo (ib. 292) *de rege Ponti Mithridate et de rege Armeniae Tigrane*, at recens dicendi genus deprehendimus in titulis Fabii Maximi (288 *ex iis* i. e. *ex Liguribus*) et Marii (290 *ex ieis i. e. Cimbris et Teutonis.*) Has sermonis vicissitudines inprimis illustrant acta triumphalia, fastis Capitolinis adjuncta; nam prioribus saeculis antiquam consuetudinem retinent, et quemadmodum in annalium monumentis traditum erat, legitur: *de Samnitibus, de Poeneis et rege Siculorum Hierone, de Sicul. et classe Poenica;* semel cum regionis vocabulo DE conjungitur, sed praegresso gentis nomine, a. 495 *de Poeneis et Sardin. Corsica;* saepius et regio et gens nominatur, sed praepositionis utriusque discrimine servato, ut a. 497 *ex Sicilia de Poeneis*, a. 513 *de Poeneis ex Sicilia*. Novicium genus dicendi primum deprehendimus a. 526 *ex Illurieis*, cum et ante hunc annum et postea praepositio DE frequenter admodum sit adhibita; tum inprimis animadversione dignum a. 587 *ex Macedonia et rege Perse* et juxta: *de rege* [*Gen*]*tio et Illurieis* legi. Quod adnotatum est a. 633 *de Baliarib.* non recedit a consuetudine, nam non insulae, sed incolae dicuntur. Proximo saeculo ab a. 634 usque ad a. 735, quo desinunt acta triumphorum, plerumque sane gentium nominibus DE, regionum EX praemitti solet, nonnunquam utraque structura simul adhibita, *ex Hispania de Celtiberis*, sed a. 693 diversa nomina ex eadem praepositione suspensa fuisse ostendunt reliquiae: . . . . [*Paphla*]*gonia, Cappadoc.* . . . . [*Alb*]*ania, pirateis*, atque Plinius H. N. XXXVII, 12 ubi dicit se verba ex ipsius Pompei triumphorum actis subjicere, scripsit: *tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, gentibusque et regibus in septumo volumine hujus operis indicatis egit.* Praeter morem a. 712 *de Illurico* scriptum, tum a. 715 novicio more *ex Parthineis*, neque amplius vocula DE adhibetur, quandoquidem aut regio sola aut simul cum gente nominatur, velut a. 716 *ex Tauro monte et Partheis*, et a. 727 *ex Thraecia et Geteis.* Neque vero obsolevit penitus praepositio DE, nam imperatorum nummi *de Germanis*, *de Britannis*, *de Sarmatis* exhibent, et rerum gestarum scriptores non solum cum antiquitatis memoriam explicant, eam voculam usitato more usurpant, sed etiam alibi admittunt, velut Eutrop. VI, 13 Metellum a. 693 triumphasse *de Creta* scripsit praeter consuetudinem, solet enim alias *ex Hispania*, *ex Macedonia*, *ex Isauria* (VI, 4) scribere.

P. IV, 22 *ad aede* cum Luca Perrot, *ad aedem* Chish. Mordtm.; sed ejusmodi errores etiam in titulis antiquioribus et exacta cura incisis deprehenduntur. Graeca metaphrasis latina verba *theatrum feci* liberius transtulit *ἀνήγειρα* (Apoll. *ANNTEPA*), sed latini quoque scriptores similiter *excitare* dicunt, velut Sueton. Aug. 24, 29 et Domit. 5, Seneca de benef. III, 32. Deinde exemplum Apoll. non *ἐπὶ ὀνόματος* sed *ἐπὶ ὀνόματι* exhibet.

P. IV, 23. *Don[a ex] manibiis in Capitolio et in aede divi Juli et in aede Apollinis et in aede Vestae et in templo Martis Ultoris consacravi, quae mihi constiterunt HS circiter milliens.* Componunt cum his Sueton. Aug. 20: *aedes sacras . . . opulentissimis donis adornavit, ut qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri gemmasque ac margaritas quingenties sestertii una donatione contulerit.* Haec nequeunt inter se conciliari, namque una donatio a Suetonio commemorata excedit summam omnium donorum, quam index testatur. Neque vero Suetonius erroris insimulandus, nam opes, quas ille dixit, Augustus videtur publica auctoritate in Jovis Capitolini cellam contulisse, ex praeda ut opinor Aegyptiaca, quod gemmarum margaritarumque copia suadet. Contra dona, quae hic Augustus recenset, de sua pecunia dedicavit, alia alio tempore; nam Capitolium et aedem Juliam de Aegyptiacis manubiis ornavit, vid. Dio C. LI. 22: *συχνὰ γὰρ καὶ ἐς ἐκεῖνο (τὸ τοῦ Ἰουλίου ἡρῷον) ἀνετέθη καὶ ἕτερα τῷ τε Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ καὶ τῇ Ἥρα τῇ τε Ἀθηνᾷ ἱερώθη* [1]), deinceps alia Apollini, Vestae et Marti ultori [2]) obtulit. Suetonius aurum, gemmas, margaritas contulisse dicit, quae non emit, sed bello cepit; sed dona, quae index commemorat, Augustum de manubiali pecunia fecisse vel emisse manifestum est. Fuerunt haud dubie magna ex parte artis opera; nam cum Augustus infra IV, 50 Antonium graviter reprehendat, quod templis spoliatis plurima ornamenta privatim possederit, quae quidem ipse post Actiacam victoriam templis restituerit, verisimile est artis monumenta, quae Augustus advexit, non vi sublata, sed pretio empta fuisse, velut signum colossicum Jovis Samii, de quo Strabo refert XIV, 637, ubi Junonis Samiae fanum describit: *τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ ἱδρυμένα ἐπὶ μιᾶς βάσεως, ἃ ἦρε μὲν Ἀντώνιος, ἀνέθηκε δὲ πάλιν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ εἰς τὴν αὐτὴν βάσιν τὰ δύο, τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὸν Ἡρακλέα, τὸν δὲ Δία εἰς τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε, κατασκευάσας αὐτῷ ναΐσκον.* Neque vero vim procul

---

1) Quae sequuntur manifestam labem contraxerunt; fortasse scribendum: *πάντων τῶν πρότερον ἐνταῦθα ἀνακεῖσθαι δοκούντων (συληθέντων) καὶ τῶν ἔτι ἀνακειμένων* (vulgo *ἢ καὶ ἔτι κειμένων*) *ἐκ δόγματος τότε καθαιρεθέντων, ὡς καταμεμιασμένων* (*καὶ μεμ.*) Dio non satis recte intellexit, quae in annalibus narrata erant; non demta sunt dona, sed purgata (cf. Hor. Carm. III, 6), atque etiam postea multa priorum temporum monumenta in Capitolio visebantur.

2) Martis Ultoris templum artis operibus variisque monimentis magnifice ornatum fuisse satis constat; sed nescio quo errore huc refert Prellerus (R. Myth. 325 ed. 1) Caesaris gladium, nam delubrum Martis, in quo Sueton. Vitell. 8 repositum esse auctor est, fuit Coloniae Agrippinensis; in eodem delubro Vitellius Marti dedicavit pugionem, quo Otho se occiderat, vid. Suet. Vitell. 10.

ubique habitam fuisse ostendit Dio C. LV, 9 de Tiberio narrans: *τοὺς Παρίους τὸ τῆς Ἑστίας ἄγαλμα πωλῆσαι οἱ ἠνάγκασεν, ὅπως ἐν τῷ Ὁμονοείῳ ἱδρυθῇ.*

P. IV, 30 Perrot. ET· COLON ////V////////, Mordt. ET· COLONIS, solus Lucas detrita elementa, quae recentiores fugerunt, notavit ET CO//ON//S-MQVESERILNE, fuit igitur AEQVE· SEDVLO scriptum, non *studio eodem*, quod Mommseno placuit.

Cap. XXII.

P. IV, 34. Cum Perroti exemplum praebeat NEPOT //A· ET· NOMINE ////LV//S, apparet Mommseni supplementum *nepot[is] mei nomine* nimis a litterarum specie recedere, ac praeterea oratio ambiguitate laborat, cum nesciamus utrum Germanicus an Drusus dicatur. Scripsi igitur *nepot[u]m et nomine [meo]*, ut est III, 39 [*Tiberii Caesaris nomi*]*n*[*e et m*]*eo*, ac vel sic in fine virgulae fuit locus. Graecae interpretationis pauca elementa restant:

ΔΙΣΑΟΔΗΤΩ/Τ/Ν

ΔΓΩΝΟ—C

ΔΡΓ *ΙΟΝ* *ΠΙ* \\

scripsit Mommsen *δὶς ἀθλητιῶ[ν] τ[ῶ]ν [πανταχόθεν μεταπεμφθέντων]*, ac probabile ita scriptum fuisse, sed articulus per errorem iterata syllaba ortus esse videtur; possis sane suspicari *ἀθλητιῶ[ν] π[α]ν]ταχόθεν μ.*], sed haec complendo hiatui non satis facere videntur. Novissima fuisse videntur [*καὶ*] *τρί[το]ν* [*τῷ τῶν ἐγγόνων μοῦ*], nam plura non recipit interstitium, omisit igitur interpres hic ipsius principis mentionem. Ad athletarum ludos, quos Augustus a. 726 edidit, existimo locum Suetonii Tib. 6 referendum: *praesedit et asticis ludis*, ubi corrigo *xysticis*, cf. vit. Aug. 45.

P. IV, 36 scripsi: *aliorum autem m*[*agist*]*ra*[*tuu*]*m vicem ter et vici*[*ens*], Mommsenus *vicem* omisit, sed ipse confessus uno *magistratuum* vocabulo interstitium non compleri; ac Perrotus fide maxime dignus auctor exhibet ////CΔ////VICEM, litteris ICE sane evanescentibus, sed non dubiis; vocis *magistratuum* Lucas primam litteram, quae non comparet in Perroti exemplo, suppeditat, idem cum Mordtmanno ultimam M confirmat, praeterea Mordt. MA, non CΔ (CA) enotavit. Apparet autem *vicem* hoc loco convenientissimum esse, neque abundat haec vocula, sed consulto addita est, tueturque etiam Suet. Aug. 43, qui hunc ipsum locum respiciens scripsit: *fecisse se ludos ait suo nomine quater, pro aliis autem magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter et viciens*, nisi quod orationem variavit. Neque aliter legit graecus interpres, nam quod ibi extat *ΔΡΧΩΝ/// ΕΡ ////ΙΙΣ*, quae non expedivit Mommsenus, olim fuisse *διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν [ἐν μ]έρ[ει τ]ρὶς καὶ εἰκοσάκις* manifestum est, quamquam metaphrasta latinorum verborum vim non satis assecutus est; nam *magistratuum* existimavit a *nomine* suspensum esse, ut *vicem* jam adverbiasceret. Ceterum nescio

an satius sit *θέας ἔδωκα* quam *ἐπόησα* scribere, in latino exemplo sane est *feci*, sed quod sequitur *δι' ἐμοῦ* illud commendare videtur.

P. IV, 36 quod Mommsenus scripsit: [*pro*] *conlegio XV virorum magi*[*s*]*t*[*er con*]*l*[*eg*]*ii co*[*n*]*leg*[*a*] *M. Agrippa* [*ludos saeculare*]*s C. Furnio C. Silano cos.* [*feci*] rejiciendum vel propter noviciam patrii casus formam *conlegii*, qua nusquam usus est in hoc indice Augustus, qui vel in adjectivis similiter cadentibus contractionem si non in pronuntiando, at certe in scribendo admisit, nam [*D*]*an*[*uv*]*i*[*i*] V, 46 perperam restitutum esse facile apparet, neque PROELII quod IV, 43 Coss. apographum praebet, fide dignum, cum in ceteris sit PROELI. Praeterea ingrata repetitio verborum *conlegio*, *conlegii*, *conlega* eo magis offendit, quod *conlegii* citra necessitatem est additum. Has offensiones ut devitarem correxi: [*pro*] *conlegio XV virorum magi*[*s*]*t*[*eri*] *m*[*i*]*hi conleg*[*a*] *M. Agrippa* [*l*]*udo*[*s sae*]*cu*[*lari*]*s C. Furnio C. Silano Cos.* [*feci*], quod proxime ad litterarum reliquias accedit. CONLEGIO Mordt. (SONE//GLO Luc.), GIO Chish. Perr., MAGI· T/// Perr., MAGI ceteri. Deinde auctius Perr. I//IICOI/LEG/, in quo latet nihil aliud quam MIHI CONLEGA, quemadmodum est VI, 23: [*qui fuerunt mi*]*hi quoque in ma*[*gis*]*t*[*rat*]*u conlega*[*e*]. Denique verborum *ludos saecularis* solus Lucas servavit reliquias ///VPQV//CI////, unde Chish. suo periculo dedit PER·QV*indeCImviros*, nam Mordt. et Perr. nihil nisi novissimam litteram S notaverunt. Atque jam graeca quoque interpretatio *ἔχων συνάρχοντα Μάρκον Ἀγρίππαν* melius convenit cum verbis latinis. Augustus fuit princeps magisterii, id quod firmant Fasti Capitol. (C. I. L. I. p. 442), ubi inter quinque magistros Augustus primum locum obtinet [1]), deinceps recensentur C. Sentius Saturninus, M. Claudius Marcellus, M. Fufius Strigo, D. Laelius Balbus. Augusto autem additus est pro magistro M. Agrippa, quem ei collegio adscriptum fuisse testatur Dio C. LIV, 19. Hanc vicem testificatur titulus Terracinensis (Bullet. Inst. Arch. 1833 p. 65) *decreto. coll. XV. sac. fac. Servius Calpurnius Domitius Denter promagist. aram Circes sanctissimae restituit*, item decretum XVvirum apud Orell. I, 2263, cui subscripsit Pontius Gavius Maximus pro magistro. — Graecus metaphrasta, cum intelligeret ludos saeculares explicatione egere, scripsit [*θέας*] *δ*[*ι'*] *ἑκατὸν ἐτῶν γεινο*[*μέ*]*νας, ὀν*[*ομαζομένας δὲ σαι*]*κλά*[*ρε*]*ις ἐ*[*π*]*όησα*, ubi propter angustias interstitii *θέας* dedi, non *θεωρίας*, quod Mommseno placuit [2]). Illud vero memorabile, sequi metaphrastam tralaticiam *saeculi* interpretationem, non Augusti rationem, quem constat annorum CX modum saeculo destinavisse.

1) Etiam Domitianus, cum ludos saeculares fecit, magister quindecim virum fuit, vid. inscr. ap. Zellium Del. 397: A. P. R. C. DCCCXLI *Imp. Caesare divi Vespasiani filio Domitiano Aug. Germanico magistro XV vir. ex SC. ludi saeculares facti*, quibus commode uti possumus ad fastos Capitolinos supplendos, in quibus de versibus quinque tres intermedii radendo deleti sunt.

2) Phlegon de macrob. 4 variat, *περὶ τῶν αἰωνίων θεῶν* (quod non erat tentandum) et *ἐπιτελεσθεισῶν τῶν θεωριῶν τούτων*.

Extant etiam nunc reliquiae SC de ludis saecularibus, quos a. 737 Augustus et Agrippa fecerunt [1]), sed titulum hunc gravissimum, cujus fidele exemplum aegre desideramus, in integrum restituere difficile est, quoniam versuum longissimorum major pars intercepta est. Sed initium SC certa conjectura redintegrari licet:

[*Quod cos.*] *v. f. ludos saecularis post complur*[*ium annorum intercapedinem proxima Caesaris Augusti et*]
[*M. Agri*]*ppae tribunic. potestate futuros, quo* . . .

ubi v. 2 P. PA. traditum est. Homines docti existimant ea, quae Censorinus de d. n. c. 17 ex commentariis XV virum de ludis saecularibus adscripsit, adornata esse Augusto auctore a. 737; memoriae autem ille prodidit, secundum XV viros hos ludos celebratos esse a. 298, 410 (408), 518, 628, 737, ita ut annus centesimus decimus saeculi terminus fuerit et legitimo anno Augustus hos ludos fecerit. Verum adversatur Sueton. Aug. 31, qui dicit Augustum nonnulla ex antiquis caerimoniis paullatim abolita restituisse, velut ludos saecularis; unde apparet legitimum tempus, quo ludi quinti celebrandi erant, a. 737 praeterlapsum fuisse. Huc accedit Claudii imperatoris testimonium ap. Suet. Claud. 21: *Fecit et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos, quamvis ipse in historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse.* Jam SC, quemadmodum restitui, plane confirmat justum tempus neglectum fuisse et Augustum ludos intermissos compluribus annis post revocavisse. Mihi quidem commentarii isti, quibus Censorinus usus est, referendi videntur ad a. 957, quo anno ludos octavos Septimius Severus fecit, Augusti rationem secutus; namque ab a. 737 usque a. 957 anni CCXX transacti sunt. Atque quod plane pro arbitrio XV viri ludos priores suis annis adscripserunt neglectis annalium monumentis, ab Augusti ingenio abhorret, isto saeculo facilius veniam impetrabit. Mirum sane accidit, quod inter ludos quartos a. 628 et quintos a. 737 celebratos non anni CX, sed CIX acti sunt, cum licuisset XV viris priores ludos annis 297, 407, 517, 627 adscribere, ut ratio constaret, sed hic scrupulus etiam residet, si in hunc modum a XV viris a. 737 fastos ludorum saecularium adornatos esse sumimus. Rothius (Mus. Rh. VIII, 367) improbante quidem Mommseno (R. Chronol. 185) probabiliter hanc rationem ab anno confusionis (708) repetit; molesta haec et putida diligentia non cadit in Augusti aequales, sed Septimii Severi saeculo haud indigna.

---

1) Orellius insigne hoc monumentum neglexit, nisi quod I, 2550 adnotavit duo fragmenta de ludis saecularibus legi apud Gruterum p. 328 (unde alii repetiverunt, velut Egger serm. lat. vet. rel. 325 et Zellius Delect. inscr. Rom. I. 1695), neque Henzenus adjecit, testificatus tantum III, p. 225 fragmentum alterum extare in Museo Vaticano et a Grutero male lectum esse. Omnino haec amplissima sylloge inscriptionem latinarum, quae proletarios titulos plurimos, quorum saepe nullus aut exiguus usus est, iterat, haud raro classica monumenta sprevit.

Sed quaeritur secundum Augusti rationem per quot annos ludi saeculares intermissi sint. Ludos Terentinos cum antiquitus Romani facere consueverint, cum propter gravem aliquam calamitatem vel dirum portentum dii inferi placandi essent, celebrati sunt hi ludi a. 406, ubi pestilentia civitatem adorta erat, neque proximis annis videntur haec sacra instaurasse, sed nonagesimo nono anno post h. e. 505 denuo ludi Terentini facti sunt, atque institutum est, ut deinceps post centum annos iidem ludi celebrarentur: hi igitur primi fuerunt ludi saeculares, quamquam facile apparet, idem nomen etiam ad ludos a. 406 transferri licitum esse. Proximi ludi facti sunt a. 605 vel 608, nam auctores in varias partes discedunt, ac facile fieri potuit, ut justo tempore praetermisso ludorum celebratio tribus annis post perageretur; anno 705, quominus fierent ludi, belli civilis incendium prohibuit. Fortasse a. 715 ludos saeculares denuo celebrare cogitabant. Extat etiamnunc Sibyllae vaticinium apud Phlegontem de macrob. c. 4, unde repetiit Zosim. II, 6, quo vaticinio jubentur Romani ludos Terentinos facere, quando saeculum hoc est anni CX peractum sit. Mihi quidem hoc vaticinium a. 666 bello Italico nondum prorsus confecto videtur editum esse, quo spectat clausula carminis haec:

Καὶ σοὶ πᾶσα χθὼν Ἰτάλη καὶ πᾶσα Λατίνων
αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

quae Phlegon ea de re addit, nihil juvant, nam quo tempore hoc oraculum editum sit videtur ignoravisse: cavendum autem, ne quis propterea, quod Latinorum potissimum mentio fit, altius repetat vaticinii originem et ad bellum cum Latinis gestum a. 414 et proximis referat: nam novicium esse vaticinium vel maxime argumento est, quod saeculum CX annorum esse perhibetur, nam haec doctrina ad Chaldaeos est referenda. Anno autem 666 cum multa portenta fierent animique sub belli civilis initia graviter commoti essent, vatum et sortilegorum auctoritas maxima fuit [1]). Huic igitur tempestati satis convenit illud vaticinium, quamquam non adversabor, si quis aliquot annis ante editum esse existimet [2]). Haud dubie Sibylla etiam sacra ad mala procuranda statim fieri jusserat, sed ea tantum pars vaticinii servata est, quae ad ludos saeculares proxumos spectat, qui si proficiscimur ab anno legitimo 605, secundum hanc Sibyllae dictionem a. 715 instaurandi erant. Atque cum instaret hic annus, ut par erat, nova vaticinia ficta sunt; docuit Sibylla hominum aetates esse decem (aliis quinarius numerus placuit), totidem deorum regna: singulas aetates quaternorum esse saeculorum sive annorum CCCCXL; confectis his annis reparationem rerum omnium (*παλινγενεσίαν*) fieri; instare jam ultimam aetatem, regnum Apolli-

---

1) Cf. Mommsen r. Chronol. p. 189. Attigit haec etiam Varro in libro de saeculis.

2) Cicero in or. de harusp. resp. 9, ubi dixit fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Etruscorum disciplina contineri, addit Italici belli funesta principia et Sullani Cinnanique temporis discrimen illos non obscure praedixisse.

nis, vid. Serv. ad Virg. Ecl. IV, 4 et 10. Attigit haec Varro de gente populi Romani (ap. Augustin. de civ. dei XXII, 28), qui libri editi sunt a. 711. Quantopere autem haec vaticinia aequalium animos agitaverint, docet Virgilii ecloga IV scripta a. 714. Neque tamen rerum romanarum status tunc ludorum saecularium instaurationem admisit, huic desiderio Augustus anno demum 737 satisfecit.

Etiam Augustus carminum Sibyllinorum auctoritatem secutus saeculum non C, sed CX annorum esse statuit, ut planissime testificatur Hor. Carm. Saec. v. 21 [1]). Item Sibyllae obtemperans quattuor saeculis peractis rerum humanarum reparationem fieri statuit, ut jam magnus ab integro saeclorum nasceretur ordo; itaque hos ludos quintos appellavit, quod docent fasti Capitolini [2]), atque rationem hanc ab Augusto designatam jam deinceps ceteri principes sequuntur. Sed quaeritur, a quo principio Augustus ludos saeculares repetiverit. Gravis pestilentia a. 292 urbem Romam vexabat, tandem votis ac applicationibus pace deorum impetrata, malum illud consopitum. Ingeniose autem Mommsenus conjecit (R. Chron. 176) clavum tum fixum esse in aede Capitolina, eumque morem post centum annos repetitum, quemadmodum constat a. 391 et rursus 491 dictatorem clavi figendi causa dictum esse. Erat igitur haec quodammodo saecularis sollennitatis origo, unde commode licuit Augusto aetatis modo actae sive quattuor saeculorum principium repetere. Ab hoc initio profecti deducimur ad a. 731, (nam anni CCCCXL inter hunc annum et 291 transacti erant [3]), quo anno secundum Augusti rationem ludos saeculares denuo celebrari oportebat: sed Augustum, cum eo anno adversa valetudine laboraret, ut vel de republica reddenda cogitaverit, tunc intermisisse non est mirum. Ac nunc demum intelligitur, quo jure in SC quemadmodum restitui per complures annos ludi saeculares intermissi esse dicantur, id est annos sex ab anno legitimo 731 usque ad 737. Confirmatur haec conjectura Domitiani ludis, quos fecit a. 841, quem apparet religiosissime rationem ab Augusto institutam servavisse [4]). Non curavit hoc Claudius, qui sextos fecit ludos a. 800: igitur veterem rationem probavit, saeculum C annorum esse ratus: sane ex hac ratione ludi a. 805 instaurandi erant, sed Claudius aut pro imperio anticipavit aut princeps ad

---

1) Censor. 17: *ut contra centesimo decimoque anno repetantur tam commentarii XV virorum, quam D. Augusti edicta testari videntur,* qui quod dubitanter loquitur (*videntur*), referendum est ad Augusti edicta, quibus ille terminus non satis dilucide videtur indicatus esse: nam commentarii XV virum, quos quidem ab Augusti aetate procul removendos docui, manifesto hanc rationem sequebantur.

2) C. J. L. I, 442: *ludi saeculares quinct. imp. Caesare divi f. C. n. Augusto.*

3) Sane clavus videtur idibus Septembribus anni 292 fixus esse, sed quoniam postea clavus saeculi quasi index fixus est a. 391 et 491, annum 291 praeoptavisse videntur.

4) Illud animadversione dignum, Domitiani ludos a Censorino quidem septimos dici, sed in fastis numerum non esse additum: nam ludorum, quos Claudius a. 800 fecit, rationem habere non minus importunum erat, quam prorsus silentio praetermittere: itaque tutissimum visum, numero plane supersedere.

investigandam antiquitatem curiosus existimavit annales urbis Romae emendandos esse et revera tunc jam annum 805 agi; quamquam potuit etiam hunc annum optare, ut novo exemplo ludos saeculares cum primordiis urbis componeret. Conjecturis supersedere possemus, si superessent quae Livius et Tacitus ea de re memoriae prodiderunt [1]).

Novavit igitur Augustus hoc ex Sibyllinorum carminum auctoritate, neque vero verisimile illum neglectis annalium monumentis pro arbitrio ludos ante suam aetatem editos ad hanc rationem revocavisse, quemadmodum XV viri Septimii Severi tempore fecerunt. Secundum Augustum a. 291 primordium fuit saecularis solennitatis [2]), jam sequuntur ludi II a. 406, III a. 505, IV a. 605 (608). Tertiorum ludorum fit mentio in additamentis fastorum Capitolinorum, rettulitque Mommsenus probante Henzeno ad a. 518, sed ne quis erret, moneo in marmoris frusto nullam temporis notam inesse; consentaneum est destinatum esse hoc supplementum anno 505 [3]).

Verba SC, quemadmodum restitui, etiam anni tempus, quo ludi editi sunt, indicant: acta sunt haec in senatu initio anni 737 (ultimum SC factum a. d. XIII Kal. Mart.) [4]), proxima igitur Augusti tribunicia potestas septima est, in qua Agrippam habuit collegam, quam die 27 m. Junii auspicatus est; itaque in Mescinii Rufi nummis, qui memoriam ludorum saecularium ostentant, trib. pot. VII memoratur. Atque Zosimus quoque II. 5 aestate (*κατὰ τὴν ὥραν τοῦ θέρους*) solennitatem celebratam esse testatur. Agrippa igitur, qui una cum Augusto ludos curavit, auctumno demum in transmarinas profectus est provincias.

Hos ludos ingenti adparatu Augustum fecisse auctor est Livius (ap. Cens. 17), sed partem sumptus senatum suppeditavisse cognoscimus ex SC., consules enim verba faciunt *de lucari ludorum sa*[*ecularium*], ac tanta summa pecuniae decernitur, quanta ludis pro salute Caesaris constituta fuit, [*praetoribus aerar*]*ii imperent*, *uti eam pecuniam dandam attribuendam* [*XV viris curent.*] Lucar potissimum scenicorum artificum mercedi destinatum,

---

1) Tacit. Ann. XI, 11 dicit se et Augusti et Claudii rationes narravisse libris, quibus Domitiani res composuerit. Livius autem libro CXXXVI, postquam dixit hos ludos centesimo quoque anno fieri solitos (Censor. 17), haud dubie exposuit diversam rationem, quam Augustus secutus est.

2) Ludos Terentinos a. 245 vel a. 250 factos, quos alii postea ad a. 305 rettulisse videntur, quoniam cum Augusti ratione non conveniebant, praetermissos esse manifestum est. A Numa Pompilio ludos primum institutos esse commentator Horatii Cruquianus perhibet, mendacio manifesto, quamquam etiamnunc nonnulli his fraudibus se decipi patiuntur.

3) Ludos hos tertios curavit magister X virum Manius Aemilius M' F. cum M. Livio Salinatore collega; hic videtur M'. Aemilius Numida decemvir sacrorum esse, quem a. 541 demortuum esse Livius XXVI, 23 tradidit.

4) Scribendo tunc adfuerunt *M. Junius M. f. Si*[*lanus*, *C. Sentius C. f. Saturn-*] *inus, C. Asinius Cn. f.* [*Pollio*]. Sentius Saturninus tunc Augusto in XV virum magisterio collega fuit, vid. Fast. Capit.

cf. Tac. Ann. I. 77 [1]), scenicos autem ludos jam antiquitus hac solennitate editos esse colligas ex Varrone, qui in libro de scenicis actionibus de ludis saecularibus dixit. Sed senatum etiam aliarum rerum impensam in se recepisse indicant haec verba, quae sequuntur: [*sac*]*rificium saeculare locarentur*, ubi praeter sacrificium videntur fruges et suffimenta intelligenda esse, quae XV viri populo viritim distribuere solebant, de quibus vid. oraculum Sibyllae et Zosimum; hinc in nummis Domitiani, qui in memoriam ludorum saecularium facti sunt, *a pop. frug. ac.* vel *suf. p. d.* legitur (Cohen n. imp. I, 423), item in Mescinii nummis (ib. I, 82) *Aug. suf. p.* Denique senatus sua impensa tabulas et aeneam et marmoream ad conservandam rei memoriam faciendas curavit: *Uti cos. a. a. ve adhi*[*bitis praetoribus, qui aerario praesint, tabulam aeneam et m*]*armoream, in quibus commentari* . . commentarii XV virum sunt opinor, h. e. decreta de ordinanda solennitate et ceremoniis sacris, sed praeterea inscripta sunt senatus consulta., quorum reliquiae hodieque extant.

Denique Senatus de iis, quibus liceret spectaculis interesse, decrevit, neque tamen audeo verba in integrum restituere: factum videtur senatus consultum in hanc fere sententiam: *quod tale spectacul*[*um suis concelebraturi sint carminibu*]*s, qui nondum sunt maritali s*[*ui sexus aetate*] . . . . *neque ultra quam semel ulli mo*[*rtalium hos ludos spectare contingat, uti utriusque sexus juv*]*eni s. f. s. spectare liceat, ieis, qui lege de marita*[*ndis ordinibus constituti sunt, comitibus*], quibus verbis significari praeconis cantilenam, more solenni invitantis ad ludos, *quos nec spectasset quisquam nec spectaturus esset* (Suet. Claud. 21), apparet, quam vocem etiam Claudianus respexit de sexto cons. Honorii 390: *spectandosque iterum nulli celebrantia ludos saecula.* Haec quae senatus decrevit, princeps edixit, vid. Suet. Aug. 31: *saecularibus ludis juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.* Legem autem de maritandis ordinibus perlatam fuisse cum hoc SC tum Horatius c. saec. v. 20. ostendit. Porro decrevit senatus, *ut omnibus lib*[*eris*] interesse ludis liceret, nam servi procul arcebantur, quod etiam Zosim. II, 5 ostendit: *δοῦλοι δὲ τούτων οὐ μετέχουσιν, ἀλλὰ ἐλεύθεροι μόνοι* [2]).

P. IV, 38. Acutissime hic quoque Mommsenus perspexit de Martis ludis verba facere Augustum, sed restitutio incerta, nam exiguae verborum reliquiae supersunt, et graeca quoque interpretatio non minus hiat. Illud certum, Augustum non subjecisse numerum, quoties hi ludi celebrati sint, ut suspicatur Mommsenus: nam in anniversario spectaculo nihil attinebat tale quid addere. Antea suspicatus sum scribendum esse: [*quos post i*]*d tem-*

---

1) In titulo Ostiensi, (Orell. II, 3882), quem Mommsenus in Analectis epigraphicis 5 recte ad Augusti aetatem rettulit, Lucilius Gamala dicitur *in ludos cum accepisset public*[*e l*]*ucar, remisisse et de suo erogationem fecisse.*

2) Etiam de [*fili*]*is conjugibusque* nonnulla sanxit senatus.

pus deinc[*eps quotannis consules fecerunt ob templum dedicatum*], nam a. 752 ob dedicatum Martis Ultoris templum instituti sunt hi ludi. Et ad eundem modum conformavi Graeca: *ἃς μετ᾽ ἐκεῖ*[*νον τὸν χρόνον ἐν τοῖς με*]*τέπειτα ἐνιαυτοῖς δ*[*ιὰ τὴν καθίδρυσιν τοῦ να*]*οῦ ἐπόησαν οἱ ὕπα*[*τοι*], sive *καθιέρωσιν* malis. Tum graecus interpres verba *ob templum dedicatum*, quae ad primarium verbum *feci* referenda sunt, non recte ad secundarium enuntiatum pertinere credidit, quemadmodum etiam aliis locis erravit. Sed nunc satius duxi scribere:

[*c*]on[*sul XIII*] ludos M[*artialis feci, quos post i*]d tempus deinc[*eps*]
[*quotannis ex senatus decreto consules fecerunt.*]

et Graeca similiter refingo: [*Ὕ*]*πατος τρισκαιδέ*[*κ*]*ατο*[*ν θέας Ἄρ*]*εως ἐπόησα, ἃς μετ᾽ ἐκεῖνο*[*ν τὸν χρόνον ἐν τοῖς με*]*τέπειτα ἐνιαυτοῖς δ*[*όγματι τῆς συνκλή*]*του ἐπόησαν οἱ ὕπα*[*τοι*]. ubi in lapide est *ΔΙ//\ΤC* i. e. *δέκατον*, *‾ΟΣ* i. e. *Ἄρεως*, *ΕΚΕΙΙΚ* i. e. *ἐκεῖνο*[*ν*], et *ΙΟΙ* pro *συγκλήΤΟΥ*, littera *T* producta, ut passim in graeco exemplo fit, ut II, 9 I i. e. P.

Scripsi *ludos Martialis*, quo nomine ipse Augustus appellat in epistola ap. Suet. Claud. 4, Mommsenus *Marti Ultori*, sed graeca metaphrasis illud commendat; Dio C. *Ἄρεια* vocat LVI, 27 et 60. Quamvis autem consules deinceps hos ludos ediderint, partem certe impensae Augustus in se recepisse videtur, cf. Augusti epist. apud Suet. Claud. 4, quam non licet ad ludos a. 752 referre, nam tunc Claudius octo fere annos natus erat.

P. IV, 41 *in ci*[*r*]*co aut* [*i*]*n foro aut in amphiteatris populo dedi*, ita Perr. neglecta aspiratione, atque ita videtur in lapide legi, quamvis Coss. ANPHITHEATRIS. Quaerit Mommsenus, cur Augustus pluraliter dixerit *amphitheatra*, nam si voluerit significare se ludos in pluribus amphitheatris edidisse, ad eundem modum etiam *in circis* et *in foris* dicendum fuisse. Mihi quidem Augustus *in amphitheatris* praeoptavisse videtur, quoniam noluit eandem clausulam usque iterare: nam quattuor vocabula in eandem syllabam cadentia teretibus auribus displicebant, quamquam alii non fugiunt hanc asperitatem, velut poeta Neroniani saeculi in Anthol. Lat. 725, v. 28 (ed. Riese.): *Dignus utroque* (*deo*) *stetit ostro insignis et auro*, ita enim versus redintegrandus videtur. Ac Suetonius Aug. 43, qui hunc ipsum locum usurpavit, non dubitavit scribere: *non in foro modo nec in amphitheatro, sed et in circo et in septis . . . . venationem edidit*, quamquam *septorum* mentio ostendit, illum etiam alios adhibuisse auctores [1]). Mommsenus existimat hoc vocabulum, quod hic primum inveniatur, a principio pluraliter tantum elatum esse, cum duo theatra conjuncta significet. Haec argutius quam verius disputata sunt. Usurpavit vocabulum jam ante a. 767, quo scriptus est hic index, Vitruvius I, 7, 1: *in quibus civitatibus non sunt gymnasia neque amphitheatra*, item Dionys. Halic. III, 68, ubi circum describit, *στοὰν ἀμφιθέατρον* dixit, nam Strabonem mitto, qui defuncto demum Augusto opus suum absolvit. Neque plurativus, qui apud Vitruvium legitur, Mommseni con-

---

1) Suetonii verba intercepta probabiliter Rothius revocavit.

jecturae favet, nam suam vim retinet, quemadmodum apud Tac. Hist. II, 67; neque analogia istam suspicionem firmat, est enim adjectivum, id quod Dionysii locus comprobat, quemadmodum *δέπας ἀμφικύπελλον* alia, sed deinde substantivi vice fungitur. Est sane et res et vocabulum ipsum recens repertum: nam primus Romae Curio a. 701 duo amplissima theatra conjunxit, non ita multo post Caesar a. 708 ligneum extruxit, et tunc primum *ἀμφιθέατρον* graeco verbo Romani opus a se inventum appellaverunt (Dio C. XLIII, 22); deinde lapideum amphitheatrum primus a. 724 Statilius Taurus aedificavit inque eo gladiatorium munus edidit; hoc amphitheatro videtur etiam Augustus a. 725 in ludis edendis et postea plerumque usus esse. Ad hoc exemplum continuo in aliis civitatibus jam Augusto imperante amphitheatra aedificata sunt, velut Alexandriae (Strabo XVII, 795) ut videtur non ita multo post victoriam Actiacam ad ludos Actios celebrandos, item Nysae in Cariae civitate (Strabo XIV. 649), atque etiam Pompejanum ad idem tempus referendum videtur (cf. Friedländer Sittengesch. II, 348.) Ovidius Met. XI 25 *structum utrimque theatrum* appellat, poeta elegantiae studiosus graecum et recens repertum vocabulum aversatur. Atque graeci quoque scriptores novicio verbo saepe abstinent, *θέατρον* vocantes, velut Nicol. Damasc. ap. Athen. IV. 153. F.; Tauri amphitheatrum, quod proprio nomine Strabo V, 236 recenset, *θέατρον* dicitur Dioni C. LXII, 18, qui alio loco LXXVIII, 25 *θέατρον κυνηγετικὸν* dixit, item Pausanias, ubi de Trajani operibus verba facit V, 12, 6, periphrasi utitur *θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν.* Quod denique Mommsenus ad suam opinionem stabiliendam addit, antiquos *bigas* et *quadrigas* dixisse, prorsus dispar est: *bigae* enim cum sint *equae bijugae*, *quadrigae* equae *quadrijugae* (Gell. XIX, 8. 11), recte pluraliter efferuntur, atque Varro de l. l. X, 24 et 66. 67 *bigas* et *quadrigas* et rursus IX, 63. 64 *bigas*, Caesar de analogia (Gell. ib. 8) *quadrigas* dicendum esse praecipiunt [1]); sed non mirum si alii, cum jam principalis notio oblivione prope obruta esset, singulari numero usi sunt, velut ipse Varro in saturis Menippeis *quadrigam* dixit teste Gellio (ib. 17), Pacuvius (Isidor. differ. 47), Propertius II, 34, 39, III, 9, 17, Gratius Cyneg. 228 et pedestris sermonis scriptores inde a Valerio Maximo, velut Plinius major promiscue utramque formam usurpat. *Bigam* Catullus, qui *τῶν νεωτερικῶν* ducit agmen, primus videtur dixisse [2]), postea et poetae, velut Seneca in tragoediis Statiusque,

---

1) Adde etiam, ut artigraphos praetermittam, Serv. ad Virg. Aen. II, 272. V, 721. XII, 164, neque tamen ipse dubitavit *fictilem quadrigam* inter pignora imperii Romani referre VIII, 188, item Ecl. VI, 22 scripsit: *Juppiter in Capitolio in quadriga miniata*, quae fortasse ex ipso Varrone descripta sunt.

2) Catull. 59, 1, ubi versu trajecto, ut etiam alii viderunt, legendum est:
1 Non custos si fingar ille Cretum,
3 Non Ladas ego pinnipesve Perseus,
2 Non si Pegaseo ferar volatu,
4 Non Rhesi niveae citaeque bigae,

et pedestris orationis scriptores, ut Suetonius ac Tacitus. Non recte igitur contendit Mommsenus hunc usum labente demum aetate invaluisse.

Graecae interpretationis nihil superest nisi ·ΙΣΘΗΡΙΩΝΕ h. e. [*θέας ἔδωκα σφαγ*]*ῆς θηρίων ἐ*[*κ Λιβύης.*].

Cap. XXIII.

P. IV, 43. Huc spectant quae Hieronymus ad a. imperii 40 (41) adnotavit, Augustum ludum gladiatorium et navale certamen edidisse, sive ut est apud Syncellum *Αὔγουστος παρέσχεν ναυμαχίαν καὶ μονομαχίαν*. *Dedi* Coss., Tournef., omiserunt reliqui, interstitium etiam plura elementa capit, ut possis *edidi* conjicere, quo verbo Sueton. Aug. 43 utitur de eadem re. *Trans* Tournef., Mordt., ANS Luc., NS Perr.; apud Suetonium est: *edidit*... *navale proelium circa Tiberim cavato solo*, *in quo nunc Caesarum nemus est*, quo loco Mommsenus sine idonea causa cum Hauptio scribere voluit *ultra*; at Suetonius ad eundem modum Domit. 4 scripsit: *navalis edidit pugnas . . . effosso et circumstructo juxta Tiberim lacu,* ripa fluminis non dilucide indicata; *circa* enim nihil aliud est, quam *ad*, quod Mommsenus requirit, ut est in Ner. 38 *horrea circa domum auream*, Plinius H. N. XII, 23 et XVI, 162 *circa flumen* et *circa amnem* scripsit. Sed apud Tacitum Ann. XII, 56: *ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno* de vitio suspectum, nisi forte sumas Tacitum cum haec scriberet, in citeriore Tiberis ripa commoratum esse: neque tamen Bekkeri conjectura *uls* ullo pacto probari potest; Varroni verborum antiquitatis studioso licuit scribere de l. l. V, 82 *in ponte Sublicio sacra et uls et cis Tiberim fieri*, Tacito restituendum puto *secus Tiberim*, unde prono errore *cis* librarii propagaverunt, cf. titulum apud Henzenum III, 5930 *ad Alutum flumen secus mont. Caucasi.*

P. IV, 44 *cavato* Busb., Luc., Mordt., CAVA reliqui: supplementum satis firmatur Suetonii loco. *Ducenti,* oportebat enim *ducentos* dici, scribae aut opificis negligentiae tribuendum. Deinde scripsi *triremes* [*aut biremes*], non *et,* quemadmodum in graeco exemplo *ἤ* legitur. — *Pluris* Perr., *plures* Coss., Mordt., ut est V, 6, sed rationem habet *pluris*, neque inconstantia haec offendit, sed *praetoris* quod legitur in SC anni 743 de *ornandis* (male vulgo legitur *de ordinandis*) aquarum curatoribus apud Frontinum de aquis 100, non satis fide dignum, cum librarii in iis, quae non intelligunt, saepissime peccent, ac Frontini liber, si recte memini, etiam alia exempla ejusdem

---

Adde huc plumipedes volatilesque
* * * * * * *
Ventorumque simul require cursum,
Quos vinctos, Cameri, mihi dicares.

ubi neque *bigis* neque *biga* scribendum, nam patrius casus *bigae* a *volatu* suspensus est. Deinde *vinctos* scripsi, legebatur *junctos*. Post v. 5 quaedam intercidisse manifestum est; poeta Boreae filios videtur memoravisse.

scripturae praebet. Sed in titulo vetusto nescio cujus civitatis Italicae (C. In. L. I. 188) est [prai]toris ... dede[re]. In graeca interpretatione scripsi *ἐκκοι[λάνας]*, ubi in lapide est *EPKE/*, unde Mommsenus *ὀρύξας*. Conferas de Caesaris naumachia Dionem C. XLIII, 23: *χωρίον γάρ τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ κοιλάνας, ὕδωρ τε ἐς αὐτὸ ἐσῆκε καὶ ναῦς ἐσήγαγεν.*

Cap. XXIV.

P. IV, 49 Mommsenus priorum supplementa *Peloponnesi et Asiae* vel *Achaiae et Asiae* sprevit, sed quod proposuit *p[rovinciae A]siae* non satis congruit cum lectione, quam Busb. et Chish., auctores illi quidem non satis locupletes, praebent P///// ET· ASIAE, nam Luc. tantum ASIAE, Perr. SIAE; scripsi *B[ithyniae] et Asiae*: graecum hominem solo *Ἀσίας* nomine defunctum esse, alterius provinciae nomine neglecto, non est mirum. Sane spoliationes templorum, quae nobis innotuerunt, in Asiae civitatibus, Sami, Ephesi, Rhoetei perpetratae sunt: [1]) sed Antonium vicinae Bithyniae, cujus urbes artis operibus abundabant, pepercisse non est verisimile. Samiis Augustus ex tribus signis colossicis Myronis, quae Antonius abstulerat, duo tantum restituit, Minervam et Herculem, Jovem avexit Romam, vid. Strabo XIV, 637: *τὸν δὲ Δία εἰς τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε, κατασκευάσας αὐτῷ ναΐσκον.* Fortasse Samii hoc signum imperatori gratificati sunt, vel pretium pro artis opere solvit; nam secundum ea, quae in indice asserit Augustus, non est verisimile eum spoliorum illorum partem invitis civibus, quorum artis opera erant, retinuisse. Item pro Apellis tabula, quae Venerem ex mari exeuntem repraesentabat, quam in aede divi Julii dicavit, Cois remisit centum talenta, vid. Strabo XIV, 657, qui quod dicit *ἑκατὸν ταλάντων ἄφεσιν γενέσθαι τοῦ προσταχθέντος φόρου*, rectius de multa cogitabis, quam Augustus Cois dixit, ubi post victoriam Actiacam Graeciam recuperavit: namque ibi in rerum confusione Curtius Nicia grammaticus, Memmii olim, Pompeii, Ciceronis, Dolabellae familiaris, rerum erat potitus, Theomnesto fidicine adversarum partium causam tuente, ut Strabo ipse significat. Coos defuncto Nicia ne reliquiis quidem pepercisse auctor est Crinagoras Anth. P. IX. 81 [2]). — Deinde scripsit Mommsenus: *quae spoliatis tem[plis hostis], cum quo bellum gesseram, privatim possederat*, quod abhorret a modestia, qua alias Augustus de suis adversariis loquitur, neque hujus supplementi capax interstitium, nam sex septemve elementa intercepta videntur, itaque cum prioribus scripsi *is cum quo*. Sed graeca quomodo sint restituenda ambigo. Super-

1) Non debebat Mommsenus huc referre bibliothecae Pergamenae copias Alexandriam transvectas: nam neque templi alicujus ornamentum fuit haec bibliotheca, neque Pergamenis ab Augusto reddita est.

2) Alia artis opera, velut duas Apellis tabulas, quibus forum Augustum ornatum fuit, neque unde advexerit neque quo pacto comparaverit princeps, constat.

sunt *ΙΕΡΟΣΥΛΗΣΑΣΟ* et in fine *ΠΟΛΙ*/////, neque tamen quinque litterae novissimo loco desiderantur, sed duae vel tres, quandoquidem virgulae vice vacuum spatium fuisse consentaneum. Quod Mommsenus dedit [*ἃ κατεῖχεν ἰδίᾳ*] *ἱεροσυλήσας ὁ* [*πολέμιος, πρὸς ὃν ἐπε*]*πολ*[*εμήκειν*] excedit intervallorum terminos, ego dubitanter scripsi [*ἃ ἐκέκτητο*] *ἱεροσυλήσας ὁ* [*ἐμοὶ ἰδίᾳ ἀράμενο*]*ς πόλε*[*μον*]. Tunc interpres male *privatim*, quod cum proximo verbo *possederat* copulandum, rettulit ad *bellum gesseram*, ratus idem fere esse atque supra I, 1 *privato consilio*.

P. IV, 51 seq. Attigit haec Dio C. LIII, 22 *οὐ γὰρ δύναμαι διακρῖναι τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν* (amicorum Augusti) *οὐδ' εἰ τὰ μάλιστα ὁ Αὔγουστος καὶ ἀνδριάντας τινάς ἑαυτοῦ ἀργυροῦς πρός τε τῶν φίλων καὶ πρὸς δήμων τινῶν γεγονότας ἐς νόμισμα κατέκοψε, τοῦ δὴ καὶ οἴκοθεν πάνθ' ὅσα γε καὶ ἔλεγε δαπανᾷν δοκεῖν.* Dio dicit, se non satis dijudicare posse, quo pacto tantum sumtum sustinuerit Augustus, quae publicis opibus quaeque sua impensa fecerit: videntur igitur nonnulli rumorem distulisse, statuas conflatas esse, ut Augustus ex ea pecunia quae largiretur, de suo patrimonio dare videretur; nam *ἔλεγε* haud dubie corruptum, videtur *ἔνεμε* scribendum esse. Fortasse Augustus, cum quando egeret opibus, statuas monetariis tradidit ac pecuniam in publicum usum contulit; postea autem, ut restitueret, quae sibi vindicaverat, dona aurea dedicavit. Memorat haec Dio res a. 727 gestas enarrans, sed facile apparet hanc rem, quam rerum scriptor praeteriens attigit, etiam alius anni esse posse. Suetonius Aug. 52 planius dicit aureas cortinas Augustum Apollini Palatino dedicavisse, i. e. tripodes, cf. quae Wieselerus docte et copiose disputavit de Delphico tripode in Actis Soc. Gott. T. XV, ubi etiam quaestionem de cortina pertractavit, inprimis p. 35 seq., sed de veriloquio vocabuli non assentior, etiamnunc tueor, quod significavi in Philol. XIV, 390, cortinam fuisse sellam auguris eamque a *convortendo* nomen traxisse.

In commentarii titulo verissime impensae in rem publicam populumque Romanum factae esse dicuntur, nam Augustus neque beneficia municipiis Italicis aut provincialibus civitatibus tributa, neque privatas liberalitates in hoc indice attigit [1]). Augusti consilium non perspexit qui appendicem adjecit, namque VI, 40 memorat dona, quae dederit municipiis et coloniis in Italia, oppidis in provinciis, aut viritim amicis senatoribusque, quorum census suppleverit. Item Augustus cum suam liberalitatem ac munificentiam illustrare vellet, praetermisit impensas sua auctoritate ex aerario in rempublicam factas [2]). Denique tenendum in hoc indice tantum erogationes

---

1) Silentio igitur praetermittit impensas factas in ludos a Tiberio editos (Suet. Tib. 7), praemia quae in alienis muneribus de suo offerebat (Suet. Aug. 45), liberalitatem, qua Herodis ludos ornavit (Joseph. Ant. XVI, 5, 1), alia id genus.

2) Velut vectigalia residua remissa et aere alieno levatos, qui pecuniam rei publicae debebant, post bellum Siculum (Dio C. XLIX, 15) et rursus post victoriam Actiacam (id. LIII, 2) non commemoravit; nam hae largitiones ad aerarium pertinebant;

extra ordinem factas, non stativas aut perpetuas recenseri; neque enim huc pertinet locus indicis I, 19, ubi praemia militibus dimissis data attigit.

Haec omnia Augustum ex privatis opibus largitum esse existimant [1]), id quod fidem omnino excedit: nam ne amplissimae quidem opes tantum sumptum tolerare poterant. In indicis appendice summa pecuniae, quam Augustus dedit in aerarium vel plebei Romanae vel dimissis militibus, denarium sexiens milliens fuisse perhibetur. Huc accedunt impensae factae in opera, quae vel nova fecit vel reparavit, item in ludos et munera, quae impensae computationem omnino non admittunt. His addendae sunt erogationes, quas Augustum in commentario consulto praetermisisse modo dixi, quas quamvis non aequaverint illas impensas, tamen amplissimas fuisse consentaneum est. Denique sumptum annuum in principis domum factum et liberalitatem, qua suos ornavit Augustus, non decet praetermittere. Quamvis autem Augustus suarum opum maximam partem in rem publicam absumserit [2]), non tamen potuit patrimonium tot tantisque et publicis et privatis impensis sufficere. Quare existimo, erogationes, quarum Augustus in commentario mentionem facit, partim ex fisco, partim ex patrimonio factas esse [3]). Idque ipse Augustus firmat; nam III, 10 dicit se *congiarium ex suo patrimonio* pernumeravisse [4]), et quod III, 12 scripsit se frumentationes

---

eodemque videtur referendum, quod a. 756 ut inopia laborantibus subveniret, ingentem pecuniam in triennium sine usura mutuam dedit (Zonar. X, 36), nam haec quoque summa ex aerario videtur erogata esse.

1) Velut Hoeckhius R. Gesch. II, 297. Eadem etiam Mommseni sententia, qui ut p. 135 dicit omnes has impensas in rempublicam Augustum de suo fecisse, ita vel perpetuum sumptum, quem veteranorum missiones exigebant, huc rettulit, scribens I. 18 Augustum praemia a se dedisse militum millibus aliquanto plus quam trecentis, qui honestam missionem impetraverunt. Ex quibus quot agros, quot pecuniam acceperint computando assequi non licet; Mommsenus dicit ex loco III, 19 apparere, ad a. 725 millia CXX in colonias deductos esse; sed fallitur, nam ibi non tantum veterani, sed etiam alii cives coloniis militaribus adscripti intelligendi sunt. Quod si sumas dimidiam fere partem i. e. CL millia veteranorum praemia numerato accepisse, aliquanto plus quam HS 1800,000000 eroganda erant, quem sumtum Augusti patrimonium, ex quo tot tantasque impensas fieri oportebat, nullo modo tolerabat.

2) Suet. Aug. 101, ubi de Augusti testamento verba facit: *excusata rei familiaris mediocritate, nec plus perventurum ad heredes suos quam milies et quingenties professus, quamvis viginti proximis annis quaterdecies milies ex testamentis amicorum percepisset, quod paene omne cum duobus paternis patrimoniis ceterisque hereditatibus in rem publicam absumpsisset.* Idem c. 66 testatur Augustum ex ignoti testamento nihil quidquam capere sustinuisse, legata a quibuscunque parentibus sibi relicta liberis eorum restituere solitum esse, cf. quae Dio C. LVI, 32 de ultimis Augusti mandatis refert.

3) Octavianum, cum a. 710 exercitum privato consilio compararet, suum patrimonium effudisse Ciceroni Phil. III, 2 dicenti fides omnino habenda est. Sed quod Nicol. Damasc. vit. Aug. 18 tradit, Octavianum opes, quas Caesar ad bellum Parthicum paraverit, una cum vectigalibus annuis Asiae in aerarium intulisse: *ἀρκούμενος ὁ Καῖσαρ τοῖς πατρῴοις, τὰ δημόσια εἰς τὸ ταμεῖον τῆς πόλεως ἀπέπεμψεν*, fide destitutum.

4) Dedit hoc congiarium redux ex Cantabrico bello, ac fortasse propterea addidit *ex meo patrimonio*, ne quis ad manubias ejus belli referret.

frumento *privatim* coempto (Graec. interpr. *σιτομετρήσας ἐκ τοῦ ἐμοῦ βίου*) emensum esse, privatis opibus hanc pecuniam erogatam esse, manifestum est. Si principis liberalitas suis impensis omnia, quae deinceps recenset, perfecisset, non erat opus uno alterove loco eam rem nominatim appellare: nunc haec ipsa additamenta indicio sunt, alia alienis opibus esse administrata. Voluit princeps, opinor, accuratius indicare, unde singulis vicibus deprompserit pecuniam, sed quoniam liberalitatum varia genera deinceps enumerat, molesta futura erat ejusmodi additamentorum repetitio; neque licebat per omnia fiscum a patrimonio secernere, nam fortasse nonnumquam utrisque opibus usus est ad largiendum.

Satis igitur habuit passim indicare, unde pecuniam erogaverit; ita fit, ut nesciamus, quantum de privatis opibus, quantum de alieno sit largitus: accedit, quod verba, quibus Augustus utitur, ambigua sunt; nam *mea pecunia*, *ex meis opibus* variam admittunt interpretationem, siquidem etiam fisci erat Caesaris pecunia [1]: hinc Dio Cassius LIII, 16 Augusti imperium describens eum *καὶ τῶν χρημάτων κυριεύειν* dicit: *λόγῳ μὲν γὰρ τὰ δημόσια ἀπὸ τῶν ἐκείνου διακεκρίνετο, ἔργῳ δὲ καὶ ταῦτα πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ ἀνηλίσκετο*, licet Augustus minus haec pro arbitrio administravisse videatur, quam Tiberius (Tac. Ann. VI, 21) et qui postea successerunt (cf. Seneca de benef. VII, 6).

Fisci quidem primum fit mentio in edicto Augusti apud Plin. H. N. XVIII, 114, sed inde non satis tuto colligas, jam tunc, cum Capuam coloni deducti sunt, a. 718 fiscum institutum fuisse: potuit enim princeps aliquot annis post veteribus possessoribus satis facere [2]. Omnino consentaneum est partitis demum inter principem et senatum provinciis i. e. a. 727 fiscum ab aerario plane secretum et utriusque munia discripta esse: sed ne sic quidem certum est, ex legitimis erogationibus quas princeps in se receperit quasve senatus fecerit: neque enim licet ex institutis proximorum temporum de Augusti imperio conjecturam capere: nam haec aliis temporibus aliter ordinata sunt. Fiscus autem a principis patrimonio neque postea, neque Augusto imperante satis certis finibus diremtus fuit; suo igitur jure Dio Cassius LIII, 22, ubi dicit Augustum etiam amicorum suorum opibus usum esse, quando publica necessitas urgeret, profitetur: *οὐδ' εἴ ποτε ἐκ τῶν δημοσίων τι χρημάτων ὁ ἀεὶ κρατῶν ἔλαβεν, οὐδ' εἴ ποτε αὐτὸς ἔδωκεν, γνώμην ἔχω συγγράψαι· πολλάκις τε γὰρ ἑκάτερον αὐτῶν ἐγ-*

---

1) Quod Augustus III, 34 dicit, quater sua pecunia se juvisse aerarium, ad fisci opes referendum puto, sed quod III, 41 scribit se ex suis opibus frumentum coemisse, ea privata haud dubie liberalitas fuit.

2) Cf. quae dixi supra p. 57. Fiscum Augusti praeterea Suet. Aug. 40 memorat, narrans principem tributario Gallo civitatem negavisse, immunitatem concessisse, dicentem, *facilius se passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanae vulgari honorem*. vectigalia enim ex principis provinciis in fiscum illata sunt. Item Suet. Aug. 101 dicit in breviario imperii perscriptum fuisse: *quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum residuis*, ubi fiscos dicit principis fiscum et aerarium militare.

νευο· καὶ τί ἂν τις ἐς δανείσματα ἢ καὶ δωρεὰς τὰ τοιαῦτα καταλέγοι, ὁπότε καὶ τούτοις καὶ ἐκείνοις καὶ ὁ δῆμος καὶ ὁ αὐτοκράτωρ ἐπίκοινον ἀεὶ χρῶνται.

Neque quod *suo nomine* se impensas fecisse dicit, certum privati sumptus indicium est; ludi quidem, quos vel suo vel aliorum nomine se edidisse dicit, privatae erant liberalitatis, item pecunia, quam suo et Tiberii nomine in aerarium militare detulit (III, 39), sed quod IV, 51 scribit se sustulisse statuas argenteas, et ex pecunia inde coacta dona aurea dedicavisse suo nomine et illorum, qui sibi statuarum honorum habuerint, facile apparet, nihil de suo Augustum largitum esse; idem arguit alius locus III, 9, ubi scribit se a. 725 post victoriam Actiacam congiarium *suo nomine ex manibiis* dedisse: etenim manubias, quamquam imperatoris sunt, non tamen licebat privatis usibus destinare. Huc pertinet, quod eodem anno etiam coloniis militum triumphale congiarium ex manibiis dedit (III, 17), item ex manibiis fecit forum Augustum et templum Martis Ultoris (IV, 21), et dona diis consecravit (IV, 23), ubi haud dubie de belli Actiaci praeda cogitandum est; denique via Flaminia ex pecunia manubiali munita est, quamquam in commentario (IV, 19) id non dilucide significavit Augustus.

Sane manubiarum vocabulum satis ambiguum: Gellius XIII, 25, 25 dicit *praedam* esse corpora ipsa rerum, quae capta sint, *manubias* vero pecuniam a quaestore ex venditione praedae redactam [1]; ita qui proprie atque signate locuti sint, haec vocabula posuisse; nam ipse Gellius fatetur non ignobiles scriptores haec promiscue usurpavisse. Secundum hanc interpretationem manubiarum voce omnis praeda comprehensa est, verum nullus est latini scriptoris locus, qui eam interpretationem firmet [2]), nisi forte Catonis verba in oratione de sumtu suo (p. 37 ed. Jordan): *nunquam ego praedam neque quod de hostibus captum esset, neque manubias inter pauculos amicos meos divisi, ut illis eriperem, qui cepissent,* quem locum fortasse veteres in hunc modum interpretati sunt, sed recte an secus nunc non liquet. Verum quod *manubialis* pecunia dici solet (Suet. Aug. 30), minime favet huic opinioni, et Ciceronis verba, quae Gellius ex intercepto loco orationis in Rullum adscripsit: *praedam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompejo sedente imperatore decemviri vendent*, aperta fronte pugnant, nam esset hoc *pecuniam vendere.* Qui proprie locuti sunt, non pecuniam ex praeda redactam manubias dicunt, sed praedae partem, quae imperatoris est. Ac primum quidem manubiae videntur appellatae esse, quas ipse imperator sua manu suaque virtute cepisset: in res ita partas cum imperatori praecipuum esset jus [3]), deinde praedae portio imperatori destinata dicta est: neque vero

1) Dicit ita scriptum esse *in libris rerum verborumque veterum*, fortasse in Verrii Flacci libris de verborum significatu (in Festi breviario haec omissa sunt), vel de obscuris Catonis; neque vero Charisius p. 97 hunc locum, sed librum de orthographia videtur respicere.

2) Mommsenum tamen nunc video in Herme I, p. 181 seqq. Gellii opinionem secutum esse.

3) Velut deditae urbis opes more majorum ducis erant, vid. Liv. XXXVII, 32:

hoc emolumentum in privatum usum, sed more majorum in deorum monumenta et urbis ornamenta conferebant. Recte igitur interpres Verrinarum Ciceronis p. 199, ubi L. Metelli manubias de Castoris aede accipit, quam ex manubiis Metellus extruxerit, contendit esse *praedam imperatoris pro portione de hostibus captam;* item infra p. 200: *spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant, et erat imperatorum haec praeda, ex qua quod vellent, facerent.* Ita Livius X, 46 narrat consulem aeris gravis tulisse in aerarium trecenta octoginta millia, *reliquo aere aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavisse*, denique militibus ex praeda centenos binos asses et alterum tantum centurionibus divisisse [1]). Ita etiam vetere more Trajanus imperator de manubiis aliquid dedicat, nam callide abusus est Gellius Trajani hoc titulo ad suam opinionem stabiliendam. Neque Ciceronis verbis ex oratione contra Rullum recte est usus: Cicero enim cum utrumque vocabulum jungit [2]), secutus est ipsius legis agrariae caput (I, 4, 12, II, 22, 59): *quod ad quemque pervenit, pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumptum in monumento, neque in aerarium relatum sit, id ad decemviros referri jubet:* solenni more hic omnia, quae belli jure parta sunt, singillatim enumerantur. Cicero, quamquam non aperte indicat, quid discriminis intercedat, tamen manubias imperatoris esse significat I, 4, 13, II, 23, 62; item II, 20 aegerrime fert, quod decemviri agros Mithridatis vendere jubeantur, *manubias imperatoris*, quarum adhuc penes Pompejum omne judicium et potestas debeat esse: nam insignem fieri contumeliam, si ulla res parta bello, etiam tum bellum imperatore administrante, nondum legibus datis neque auditis verbis imperatoris, venierit: cum hic tropica quadam figura captos agros appellet manubias, infra II, 22, 60 agri, qui eripiantur Pompejo, a manubiis, quas solus referre non debeat, segregantur. Denique quod II, 23, 61 scripsit: *si est aequum praedam ac manubias suas imperatores non in monumenta deorum immortalium, neque in urbis ornamenta conferre, sed ad decemviros tanquam ad dominos reportare*, rationem habet: nam quamquam manubiae potissimum monumentis publicis destinabantur, tamen etiam ad praedam imperatoris pertinebat arbitrium; nisi quod cavendum fuit, ne quid quod de hostibus captum esset suam domum averteret; nam peculatus lege tenebatur, qui privatim quid possidebat, id quod crimini ipse Augustus Antonio vertit IV, 51. Reliqua autem praedae pars more majorum in aerarium inferri solebat. Neque Au-

---

Aemilius primo resistere et revocare dicendo, captas non deditas diripi urbes, et in his tamen imperatoris, non militum arbitrium esse. Tacit. Hist. III, 19: *expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere.*

1) Neque singulare hoc, sed de more fiebat apud veteres Romanos: nonnunquam tamen propter aerarii inopiam omnis praeda ad quaestores redacta; vicissim ut militum studiis satis facerent, aliquotiens nihil praedae in publicum secreverunt.

2) Ad eundem modum Dion. Halic. Ant. VI, 95 λάφυρα καὶ λείαν τὴν ἐκ τῶν πολέμων dixit.

gustus hoc neglexit[1]). Ita bello Actiaco composito, cum ingenti praeda potitus esset, ex manubiis patrio more congiarium triumphale dedit, item opera nova fecit et diis dona magnifica consecravit, vias munivit[2]), partem ludis ac muneribus edendis, ut videtur, impendit, omninoque summa liberalitate opes illas dilargitus est, sed residuam praedae partem, ut majorum institutis satisfieret, in aerarium intulit[3]).

Congiaria, quae dedit Augustus a. 710 Caesaris nomine, consul V, X, XI, XII, XIII (has duas largitiones pro C. et L. Caesaribus videtur dedisse) et a. 742 ut videtur quod tunc pontifex maximus creatus erat, haud dubie de suo pernumeravit, nisi quod primum a. 710 ex Caesaris testamento solvit, a. 725 (consul V) ex manibiis belli Actiaci dedit. Sed quamquam more patrio congiaria eroganda erant de suo, tamen postea fere de fisco videntur[4]) data esse.

Item frumentariae liberalitates videntur privatis opibus erogatae esse, id quod vel exiguus numerus commendat[5]), nam Augustum multo saepius adlevavisse annonam satis constat: cf. Sueton. Aug. 41. Et prima quidem liberalitas a. 731 congiarii loco est data (III, 10), a. 732 curam annonae suscepit et suis impensis penuriam sublevavit (I, 32), a. 736 et rursus a. 759 (III, 40, quemadmodum hunc locum redintegravi) ex suis opibus emtum frumentum admensus est.

Longe alia ratio praemiorum, quae militibus stipendiis emeritis data sunt; attigit haec Augustus jam in prima commentarii parte (I, 16 seq.), ubi numerum militum, qui per annos LVI imperii stipendia meruerunt, indicaverat, ex quibus plus quam trecenta millia aut agros aut pecuniam accepisse dicuntur: facile apparet hanc pecuniam non potuisse ex patrimonio Augusti persolvi, ut jam supra significavi, sed privata principis liberalitas haud dubie

---

1) Prioribus quidem annis Augustum prorsus pro imperio praedam dispensavisse consentaneum est, ita ut praedae et manubiarum discrimini vix esset locus.

2) Augustus sedulo curavit, ut etiam legati, quibus triumphi honos concessus fuit, patrium hunc morem religiose observarent, vid. Dio C. LIV, 18 (a. 737): *καὶ τοῖς τὰ ἐπινίκια πέμπουσιν ἔργον ἐκ τῶν λαφύρων ἐς τὴν τῶν πράξεων μνήμην ποιεῖν προσέταξεν.*

3) Testatur hoc Vell. II, 39, 2: *idem facta Aegypto stipendiaria quantum pater ejus Galliis in aerarium praedae contulit*, si recte *praedae* pro *reditus* restitui. Neque in eo haerendum, quod Vellejus more suo rem exaggerans ita loquitur, quasi universa praeda Aegyptiaca aerario sit illata.

4) Antoninum pium de proprio dedisse credimus Julio Capit. 4 tradenti, sed quam ambigua sit vox *de suo* ostendit Plin. Paneg. 27: *congiarium das de tuo*, *alimenta de tuo*, quemadmodum 26 de alimentis dixerat *de tuo* et *sumptibus tuis*, sed rursus 28: *aluntur publicis sumptibus*, et c. 41: *nam mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donativum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse, interrogandus videris, satisne computaveris imperii reditus.*

5) Sumtum legitimis frumentationibus tunc suppeditabat aerarium, id quod ex ipso indice plane perspicitur; postea haec impensa ad fiscum translata, velut de Domitiani temporibus testatur Statius Silv. III, 3, 90 et 100, de Trajani aetate Plin. Pan. 29, sed seorsim a reliquis fisci impensis haec arca administrabatur, unde in titulis *fiscus frumentarius* dicitur.

opem tulit. Accuratius de his praemiis ipse Augustus in commentario III, 22 seq. exponit. Et agros quidem, quos a. 724 et rursus 740 veteranis assignavit, pro quibus agris numeravit HS octiens milliens et sescentiens, non ex suis opibus emisse principem certum est. De praemiis datis inter a. 724 et 740 nihil memoriae prodidit Augustus, sed anno 740 cum has res ordinaverit princeps, consentaneum est hanc pecuniam ab a. 740 usque ad a. 758, quo aerarium militare institutum est, ex fisco datam esse; jam Augustus (III, 28 seq.) scribit se annis 747, 748, 750, 751, 752 veteranis numerato persolvisse: atqui quotannis certum aliquem numerum militum dimitti par erat, nisi si bella graviora impedimento erant; itaque valde mirum accidit, quod a. 749, quo tempore res pacatae erant, nulla praemia veteranis data recenseantur. Plinius H. N. VII, 149 res adversas enumerans, quas Augustus expertus est, inopiam stipendii praeter cetera nominat [1]); possis sane haec ad a. 758 referre (cf. Dio C. LV, 24), sed haud dubie jam antea saepius publicae opes non sufficiebant, itaque videtur Augustus per quinque annos de suo patrimonio praemia erogavisse, quae ceteris annis de fisco soluta sunt. His necessitatibus prospexit aerario militari instituto (a. 758), in quod pecuniam suo et Tiberii nomine intulit (III, 35), quam de suo largitum esse apparet [2]).

Aerarium quater pecunia sua se juvisse scripsit Augustus (III, 34), hoc est ex fisco detulit in aerarium pecuniam, quam vel mutuo dedit vel largitus est, certe Dio LIII, 2 de liberalitate a. 726 dubitanter loquitur: *ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατο τινὰ καὶ ἔδωκεν αὐτῷ.* Singularis ratio liberalitatis est a. 742, de qua haec apud Dionem leguntur LIV, 30: *ἐπειδὴ ἡ Ἀσία τὸ ἔθνος ἐπικουρίας τινὸς διὰ σεισμοὺς μάλιστα ἐδεῖτο, τόν τε φόρον αὐτῆς τὸν ἐτήσιον ἐκ τῶν ἑαυτοῦ χρημάτων τῷ κοινῷ ἐσήνεγκεν, καὶ ἄρχοντά οἱ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ' οὐχ αἱρετὸν, ἐπὶ δύο ἔτη προσέταξε*, ubi apparet trajecta negandi particula scribendum: *καὶ ἄρχοντά οἱ οὐκ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ' αἱρετὸν κτλ.* Igitur Augustus ut laboranti provinciae subveniret, Asiae administrationem per duos annos in se recepit, eamque provinciam legato regendam tradidit, sed simul ne senatus opulentissimae provinciae vectigalibus careret, reditus unius ut videtur anni in aerarium detulit: civitates autem hac calamitate afflictae videntur tributis levatae vel principis munificentia adjutae esse [3]).

Sequuntur opera nova, quae fecit Augustus (IV, 1 seq.); ac partim quidem de suo sumptum suppeditavisse verisimile est, velut cum divi Julii aedem aedificavit, vel Jovis Tonantis, quam ipse vovit, cum in expeditione Canta-

---

1) „*Deinde tot mala, inopia stipendi, rebellio Illyrici, servitiorum dilectus, juventutis penuria, pestilentia urbis, fames Italiae.*“

2) Dona, quae Augustus militibus ante missionem diversis temporibus obtulit, omnino praetermisit in indice, cf. Momms. p. 37.

3) Conferas quae Tacitus Ann. II, 47 de pari calamitate, quae a. 770 Asiae urbes vastavit, et de remediis a Tiberio adhibitis exposuit.

brica iter faciens paene fulmine ictus esset; huc inprimis referenda sunt opera, quae a Caesare coepta perfecit vel a se inchoata ab heredibus suis perfici iubet (IV, 12—16); de aliis ambigi potest, velut de aede Apollinis Palatini, quam Augustus inchoavit post bellum Siculum a. 718, absolvit post victoriam Actiacam a. 726, fortasse manubiali pecunia usus, neque adversatur Vell. II, 81, 3: *templumque Apollinis et circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est*, ubi perperam *magnificentia* corrigunt. Sed aedes sacras, quarum curam a. 726 senatus principi demandavit [1]), aegre credas ex privatis opibus refectas esse. Rivos aquarum se refecisse et aquam Marciam duplicavisse scribit (IV, 10), quod refert Mommsenus ad a. 749/50 propter titulum (Orelli I. 51), in quo Augustus rivos omnium aquarum refecisse dicitur; sed inprimis a. 742 mortuo Agrippa, cui ea res praecipue curae fuerat, ipse Augustus aquis prospexit, id quod satis superque docent reliquiae SCorum, quae eo anno facta sunt; neque postea neglexit, id quod arguit titulus anni 749/50; sed cippi qui supersunt, cum nullam temporis notam prae se ferant, utrum ad hunc an ad alium annum referendi sint, incertum. Alsietinam aquam, quae vocata est Augusta, videtur a. 752 perduxisse, quum naumachiae opus exstrueret, vid. Frontin. de aquis 11; Marcia aqua quo tempore duplicata sit, non est memoriae traditum, fortasse post a. 732, ut Frontinus indicare videtur. Denique a. 755 lata est lex Quinctia, ut aquae ductus a privatorum hominum iniuriis defenderentur [2]). Jam quod in SC. anni 743 apud Frontin. 125 legitur: *ii rivi, (specus), fornices, quos Augustus Caesar se refecturum impensa sua pollicitus senatui est*, haud dubie pecunia de fisco erogata significatur [3]).

Dona diis consecrata (IV, 23) ex manubiali pecunia emta esse significat, neque adversatur quod scripsit: *mihi constiterunt*. Ludorum denique et munerum sumptum maxima ex parte Augustus in se recepisse videtur, sed aliquam pecuniam erogavit passim senatus, velut ludis saecularibus lucar dedit, praeterea aliquoties amici vel reges principis munificentiae subvenisse videntur.

---

1) Censorum erat aedes sacras tueri, ac potestate censoria functus est Augustus annis 725, 26, itaque senatus consulto omnino non erat opus; verum Augusto, qui tunc multis ac gravibus negotiis occupatus fuit, per censurae tempus vix licebat ad aedium sacrarum restitutionem animum adiicere, videtur igitur senatus post lustrum conditum hanc curam principi mandavisse.

2) Frontin. 129 seq. In procemio ex more et locus et dies indicatur his verbis: *in foro pro rostris aedis divi Iulii P. R. C. Iulias.* Mendum manifestum non sustulerunt homines docti, *pr. K. Iulias* scribendo, siquidem T. Quinctius consul suffectus hunc honorem cepit Kal. Iul., (cf. C. In. L. I, p. 473), scribendum igitur *PR. EID. Iulias.*

3) In titulis quando imperatores, qui post secuti sunt, aquae ductus sua pecunia vel sua impensa restituisse dicuntur, item de fisco cogitandum, unde etiam aquariorum Caesaris familia commoda accipiebat, ut scripsit Frontin. 118, addens: *ex fisco et omne plumbum et omnes impensas ad ductus et castella et lacus pertinentes erogari*, sed publicae familiae commoda dabantur ex aerario.

Cap. XXV.

P. V, 4 *b*[*elli*] scripsi (Perr., Mordt. P///), Mommsenus *bello*, sed litteram O vix recipit interstitium. — Quae sequuntur, Mommsenus in hunc modum restituit:

> Iuraverunt in eadem ve[*rba provi*]nciae Galliae, Hispaniae, Africa, Sicilia, Sardinia. Qui [*tum iuraverunt in*] eadem verba, fuerunt senatores plures quam DCC, in i[*is homines*, *qui poste*]a consules facti sunt ad eum diem, quo scripta su[*nt haec* . . . . *qui praetores*], circiter CLXX.

Novissimorum restitutio incerta, quandoquidem graeca interpretatio adeo est oblitterata, ut paucae litterae superstites nulli sint usui. Sed quod Mommsenus: *qui tum iuraverunt in eadem verba* scripsit, *eadem* quod supra aptum, ubi qui praeter Italicos Caesari fidem dederint recensentur, hic incommodum, ubi non fit accessio, sed explanatur: neque illa lectio auctoritate satis munita, nam dissentiunt testes: Mordt. QVI· V, sed Perr. QVI, deinde Mordtmannus exhibet EADEM VERBA / / / VERVNT SENATORES, haud dubie Zumptii supplementa [*jura*]*ve*[*runt in eadem verba sena*]*tores* secutus; at Perrotus homo curiosus et fide dignus: VERINT (sed litterae NT evanidae) FVERVNT SENATORES, igitur scripsi: *qui* [*tum in mea verba iura*]*verunt*, quamquam possis etiam verborum ordinem invertere: *qui* [*j*]*u*[*raverunt tum in mea*] *verb*[*a*]. Deinde Mommseni supplementum *homines qui* futile, neque enim latina haec oratio, sed potius dicendum erat: *ex iis postea consules facti sunt*, neque successisse loci emendationem editori vel hiatus arguit ultimo versu, quem non potuit de medio tollere. Summam tamen institutae sententiae hic quoque sagaciter assecutus est, atque verissime vidit vocabulum *praetores* interceptum esse. Inchoatam igitur emendationem absolvere conatus sum scribendo:

> Qui [*tum in mea verba iura*]verunt, fuerunt senatores plures quam DCC, in i[*is consulares* . . . ., *poste*]a consules facti sunt ad eum diem, quo scripta su[*nt haec*, *circiter* . , *praetores*] circiter CLXX.

Augustus igitur primum indicat, in senatoribus, qui suas partes secuti sint, quot fuerint viri consulares, tum autem praeterea addit, quot ex iisdem senatoribus postea ad consularem et praetoriam dignitatem evecti sint. Numeros restituere quamvis temerarium sit, tamen consules fortasse aliquis C fuisse suspicetur, quandoquidem una tantum littera desiderari videtur, nec nimis magnus hic numerus; nam consentaneum est Augustum in creandis consulibus eorum potissimum rationem habuisse, qui tunc senatores fidem probaverant. Consules autem tam ordinarii quam suffecti dicuntur. Praetorum numerus fortasse non est integer servatus; ex graeca enim interpretatione supersunt novissima elementa N. AT —. hoc est opinor [*ἑκατὸν ἑβδομήκο*]*ν*[*τ*]*α τ*[*ρ*]*εῖς*, ut in latino quoque exemplo sit scribendum *circiter CLXX*[*III*], id quod vacuum spatium in fine capitis admittit.

Cap. XXVI.

Silentio praetermisit Augustus se pomerium urbis auctis populi Romani finibus protulisse, quod factum esse a. 746 auctor est Dio C. LV, 6 [1]. Renovavit Augustus Sullae et Caesaris exemplo hunc majorum morem, quoniam eo tempore Drusi Germanicis, Tiberii Pannonicis victoriis fines imperii satis grande augmentum cepisse videbantur, atque eo ipso anno 746 Tiberius ita visus est perdomuisse Germaniam, ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae, quemadmodum Vell. II. 97 gloriatur. Denique Alpes maritimae jam a. 740 adjectae sunt imperio Romano (Dio C. LIV, 24), quamquam Alpinae gentes proximis demum annis videntur plane perdomitae esse, id quod colligas ex titulo Cottii regis (Orelli I. 626), qui ad trib. pot. XV (745/6) pertinet, et ex inscriptione tropaei Alpium ap. Plin. H. N. III, 136, quae trib. pot. XVII (747/8) ostentat.

P. V, 9 Mommsenus Zumptii supplementum recepit:

> Omnium prov[*inciarum populi Romani*], quibus finitimae fuerunt gentes, quae n[*ondum parerent imperio nostr*]o, fines aux[i].

ac similiter priores *quae n*[*ondum subjectae erant pop. Roman*]*o*, sed mihi hoc ab Augusti ingenio abhorrere videtur, qui pacis amantissimus videri studebat, ac bella non tam proferendi imperii cupiditate ac sua sponte, sed quia lacessitus erat, se suscipere dictitabat, quemadmodum infra V, 13 ipse profitetur. Adde Suet. Aug. 21: *nec ulli genti sine justis et necessariis causis bellum intulit*, *tantumque afuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi*, *ut* et qu. s. Omnino enim Romani prae se ferebant, se justissimos et maxime pios omnium mortalium nisi justum ac pium bellum non gerere. Ita etiam Augustus, qui fetiale jus prope obsoletum revocavit, in bellis suscipiendis moris majorum simulacrum tuebatur; nam nunquam illum sine justa causa bellum intulisse, quod Suetonius dicit, fide indignum; Dio quidem Cassius XLIX, 36 de expeditione in Pannonios facta aliter judicat: *ἔγκλημα μὲν οὐδὲν αὐτοῖς ἐπιφέρων, οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἠδίκητό τι ὑπ' αὐτῶν, ἵνα δὲ δὴ τοὺς στρατιώτας τε ἀσκῇ ἅμα, καὶ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων τρέφῃ, πᾶν τὸ τῷ κρείττονι τοῖς ὅπλοις ἀρέσκον δίκαιον ἐς τοὺς ἀσθενεστέρους ποιούμενος.* Modestiae igitur, quam Augustus prae se ferebat, convenientius quod dedi:

---

1) Henzenus non solum titulos cipporum, qui pomerium ab Augusto prolatum testificantur, subditicios censet (Bulletino 1857. p. 11 seq. Hermes II, 141), verum etiam ipsam rem, quam praeter Dionem alii quoque scriptores commemorant, addubitat: sed Augusti silentio non est nimium confidendum, namque alia quoque praetermisit, quae commode in hoc indice perstringere licuit, neque majoris momenti est, quod in lege de Vespasiani imperio est scriptum: *utique ei fines pomerii proferre . . . liceat ita, uti licuit Ti. Claudio*, nulla Augusti mentione facta, namque proxima prior lex sufficiebat. De pomerio per Claudium prolato grammaticus ejusdem aetatis scripsisse videtur, quem Gellius adhibet XIII, 14, 7, cui non *Elydis*, sed *Epelydis* nomen fuisse suspicor; cf. Orelli III, 6316.

quae n[*ostro infestae erant imperi*]o.

Mordt. RO notavit, fortasse hic quoque deceptus Zumptii supplemento, nisi forte in lapide RIO etiamnunc legitur. Sed Graeca dubitanter refinxi: *ὡς ὅμορα* [*περιέστη ἔθνη πολέμια* sive *ἐπαχθῆ*] *τῇ ἡμετέρᾳ* [*ἡγεμονίᾳ*]. Antea scripsi *δήμου Ῥωμαίων*, non *τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων*, ut est V, 24 *δήμου Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ προσέθηκα*.

P. V, 10, 11, 12. Locus satis difficilis et dubitationis plenus; nam in graeca metaphrasi non minus mutilatata nihil fere est subsidii. Verissime quidem Mommsenus separavit hoc enuntiatum a proximis (12. 13. 14), in quibus de Alpinis gentibus subactis verba fieri intellexit, sed quod scripsit Zumptium fere secutus [1])

Gallias et Hispanias provi[n]cia[*s ab ea parte qua eas adlui*]t Oceanus, [*a*] G.dibus ad ostium Albis flum[*inis pacavi.*]

nego ac pernego ab Augusti manu profectum esse. Mommsenus dicit Augustum, postquam supra dixerit se provinciarum, quibus gentes imperii Romani immunes finitimae fuerint, fines protulisse, nunc hoc addere, in provinciis Oceano adjacentibus ad Oceanum usque populi Romani imperium se stabilivisse. Summam quidem sententiae recte assecutus est, sed ipsa verba non sine offensa legimus. In Hispania quidem gentes male quietae Astures et Cantabri coluerunt regiones Oceano finitimas [2]), item in Gallia Aquitani, quos solos commemorat Mommsenus, de bello per Messalam a. 726 (27) gesto cogitans, et Morini, quos perdomuit Carinas (Dio C. LI, 21, huc respexit Virg. Aen. VIII, 727); at Agrippa a. 715 et 16 non solum Aquitanos domuit, sed etiam in interiore Gallia motus compescuit, Rhenum transgressus Germanis arma intulit, et Ubios in citeriorem ripam transduxit; Carinas autem non solum Morinos aliasque Gallorum gentes res novas molientes subegit, sed etiam Suevos Rhenum transgressos repulit (Dio 51, 21). Cum Augustus a. 725 Janum clauderet, in armis erant Treveri, qui Germanos socios asciverant, quos debellavit Nonius Gallus (Dio LI, 20). Etiam a. 727, quo anno Augustus censum in Gallia egit, nondum omni ex parte pacata fuit (Dio C. LIII, 22); a. 729 Vinicius Germanis bellum intulit (Dio LIII, 26) [3]), a. 737 Agrippa in Galliam missus est et seditione et Germano-

---

1) Zumptius scripsit: *Gallias et Hispanias provincia*[*s, quo usque eas allui*]*t Oceanus*, cum Chishullus dedisset: *provincia*[*sque, quas allui*]*t Oceanus*, quo quidem supplemento admisso procul habetur difficultas, qua Zumptii restitutio laborat, sed exoritur non minus gravis; nam in Oceani littore a Gadibus usque ad Albim nullae erant provinciae praeter Hispanias et Gallias.

2) Sed Vaccaei, quos una cum Cantabris et Asturibus rebellantes Statilius Taurus vicit (Dio C. LI, 20), interiora tenebant.

3) Huc spectat Plut. de fort. Rom. 9 dicens post proelium Actiacum Janum non diu clausum fuisse: *αἱ γὰρ ἀπὸ Καντάβρων ταραχαὶ καὶ Γαλατίας συρραγεῖσαι Γερμανοῖς συνέῤῥηξαν τὴν εἰρήνην*, ubi scribendum *καὶ Γαλατίαι συρραγεῖσαι σὺν Γερμανοῖς ἐτάραξαν*, nam non Galliae et Germaniae bello collisae, sed seditiosae Gallorum gentes Germanorum auxiliis adjutae solebant rebellare.

rum incursionibus vexatam (Dio C. LIV. 11), a. 738 Sygambri, Usipetes, Tencteri Galliam devastabant (Dio C. LIV. 19. 20), et Lollianae cladis nuntio excitatus ipse Augustus illuc profectus est ac proximis annis res Hispaniarum, Galliarum, Germaniarum ordinavit. Rursus a. 744 Augustus Galliam revisit (Dio C. LIV, 36), denique a. 746 [1]) eodem profectus est, vid. Dio C. LV, 6. Tantae igitur molis erat Galliam pacare. Denique quoniam Albis fluminis fit mentio, Mommsenus credit Augustum respexisse Tiberii expeditiones adversus Frisios et Chaucos a. 757 et 758, at ut mittam illam ipsam expeditionem infra V, 14 accuratius describi, Romani non tantum Germanorum nationes Oceanum septentrionalem accolentes subegerunt, sed Drusus et Tiberius omnem Germaniam intra Rhenum et Albim perdomuerunt, L. Domitius autem a meridionali parte Hermunduris in deditionem acceptis Albim trajecit [2]): oportebat igitur Augustum plane dicere, se Gallias et Hispanias provincias pacavisse, neque vero oram tantum maritimam commemorare, quod cum rerum gestarum veritate non convenit. Neque minus offendit, quod Augustus secundum Zumptii et Mommseni restitutionem significat Galliam provinciam pertinere usque ad Albis ostium: nam cisrhenani quidem agri Galliae nomine haud raro comprehenduntur, at regiones inter Rhenum et Albim sitas Galliae accenseri prorsus inauditum. Rhenus, non Albis Gallias a Germania tunc secernebat, satis superque hoc testantur rerum scriptores, cum Germanorum gentes, quibus in sinistra Rheni ripa agri assignati sunt, in Galliam trajectas esse dicunt, velut Tac. Ann. XII, 39, Suet. Aug. 21, Tib. 9 [3]), non sui saeculi consuetudini obtemperantes, sed Augustae aetatis statum religiose describentes. Frustra hanc difficultatem expedire studuerunt Brandesius (Germanen und Kelten 120 seq.) et Brambachius in Mus. Rhen. XX. 605. Denique potius inverso ordine dicendum fuit *Hispanias et Gallias . . . . a Gadibus ad ostium Albis fluminis pacavi*, si haec arcta necessitate conjuncta essent; nunc id ipsum indicio est, non perpetuum esse sermonis tenorem, sed duo enuntiata separatim fuisse posita. Tentari possunt plura, sed maxime probabilis videtur haec restitutio:

---

1) Neque postea, quod sciam, Galliam revisit. Invidiosius igitur quam verius Romae a. 767 Tiberii ignaviam incusaverunt, ut Tacitus refert Ann. I. 46: *„an Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse, Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem.“* nam Tiberio tunc eadem fuit aetas, quae Augusto a. 746.

2) Dio C. LV, 10, a, et Tac. Ann. IV, 44, qui dicit longius ab eo penetratam Germaniam, quam a quoquam priorum, eamque ob rem ornamenta triumphalia adeptum esse (Suet. Ner. 4); nam aliquot annis post ad Rheni inferiorem ripam nihil admodum memorabile patravit, vid. Dio et Tac. Ann. I, 63.

3) Hos scriptores sequuntur proletarii, ut Aurel. Vict. epit. 1 et Eutrop. VII. 9, qui planissime dicit: *quo bello CCCC millia captivorum ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit.* Contra Livius epit. lib. 137 scripsit: *civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae oppugnantur a Druso.*

Gallias et Hispanias provi[*n*]cias [*penitus pacavi*, *et ultimus es*]*t*
Oceanus a Gádibus ad ostium Albis flum[*inis domitus*.]

sive *perdomitus* malis. PROVICIAS Mordt., PROVICIA Perr., PROVINCIA reliqui, videtur operarius N omisisse. — T· OCEANVS Luc., Chis., Perr., VIT OC. Mordtm., haud dubie deceptus priorum supplemento *alluit Oc*. Praepositionem A tuentur Luc., Chish., Mordt., locum vacuum ostendit Perroti exemplum. *Ultimus* (sive *extremus*) addidi, quoniam id graeca metaphrasis videtur suppeditare, nam in verbis *ΧΑΘΩΣΩΚΕΑ*, quae intacta reliquit Mommsenus, cum Franzius parum probabiliter *καθ' ἃς* suasisset, haud dubie *ἔσχατος Ὠκεανός* delitescit, ubi *Θ* pro *T* scriptum, de quarum litterarum permutatione supra dictum est, *Ω* autem vice litterae *O* fungitur, qua vicissitudine nihil frequentius est in hoc Ancyrano monumento. Quod scripsi *domitus*, prorsus ad eundem modum dixit Suetonius Claud. 17: *navalem coronam*, *traiecti et quasi domiti Oceani insigne*. Graeca igitur ad eundem modum sunt refingenda:

Γαλατίας καὶ Ἰσ[*πανίας ἐπαρχείας πάντως* sive *τελέως*
εἰρήνευσα, καὶ ἔσ]*χατος Ὠκε*[*ανὸς ἀπὸ Γαδείρων μέχρι*
τοῦ] *στόματος* [*Ἄλβιος ποταμοῦ ἐδαμάσθη*.]

Jure suo de se praedicat Augustus sua opera Hispanias et Gallias penitus pacatas esse, neque a veritatis specie abhorret, quod addit Oceanum perdomitum esse. Oceanus ut orbis terrarum ita imperii Romani terminus: Augusto, qui orbem terrarum imperio P. R. subjecit, ut est in titulo indicis, hanc laudem certatim tribuunt hujus saeculi poetae, velut Virg. Aen. I. 287: *imperium Oceano*, *famam qui terminat astris*, et Horat. Carm. IV, 14, 47, ubi extremas provincias imperii Romani recensens praeter Nilum, Istrum Tigrin Oceanum addit: *te belluosus qui remotis obstrepit Oceanus Britannis*, quod carmen a. 741 scriptum, ut recte Frankius statuit. Domitus autem dicitur Oceanus, per quem classes Romanae navigant. Romani autem ut Hispanos et Gallos Oceani accolas subigere et has provincias pacare possent, etiam navibus usos esse consentaneum est, ac de bello Cantabrico testificatur Florus II, 33: *nec ab Oceano quies*, *cum infesta classe ipsa quoque terga hostium caederentur*. De expeditione in Britanniam suscipienda itendidem cogitavit Augustus a. 720. 727. 728 (Dio C. XLIX, 38, LIII, 22 et 25); quamquam haec consilia nullum habuerunt eventum, tamen classem tunc in Gallia paratam esse consentaneum est. Item justo navium numero opus erat ad portoria exigenda, velut Strabo fide inprimis dignus auctor tradit de gravibus vectigalibus, quae Britannorum mercatores Galliae portus visentes non solum pro importandis sed etiam pro exportandis mercibus Augusto imperante solvebant, vid. IV, p. 200 (ubi *τέλη οὕτως ὑπομένουσι βαρέα* perperam critici tentaverunt *οὔπως* scribendo) et II. 115. Inprimis autem ad praedonum rapinas arcendas navalibus copiis opus erat [1]). Drusus

---

1) Propertianus versus II, 9, 30: *huc mea si staret navis in Oceano*, non de mercatura, sed de stipendiis maritimis accipiendus.

in Rheno validam instruxit classem (Florus II, 30), non solum ad utramque fluminis ripam tuendam, sed etiam ad maritimas expeditiones faciendas [1]), quemadmodum ipse Drusus statim a. 742, ut Dio C. (LIV, 32) narrat, *ἐς τὸν Ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας* Frisios ad obsequium adduxit et Chaucorum terram ingressus est: subvectus enim erat Amisiam flumen in eoque cum Bructeris proelium commisit (Strabo VII, 290) [2]). Quae inchoaverat Drusus, perficere instituit Tiberius duabus expeditionibus, a. 757 usque ad Visurgim, a. 758 usque ad Albim processit, simulque classis eo flumine subvecta est et Chauci in fidem recepti, (Dio LV, 28, Vell. II, 106.) Igitur Augusto licuit dicere Oceanum a Gadibus usque ad Albis ostium perdomitum esse: eaque verba etiam a. 767, quo scripsit princeps indicem, veritati conveniunt: nam quamvis post cladem Varianam a. 762 Romani interiora Germaniae inter Rhenum et Albim non reciperaverint [3]), tamen nationes maris littora incolentes in

---

1) Tacit. Ann. I, 45 de Germanico: *Igitur Caesar arma, classem, socios Rheno demittere parat.* Classem mille navium a Germanico ad suam expeditionem fabricatam idem II, 6 descripsit.

2) Nescio an ad hanc Drusi expeditionem Albinovani carmen sit referendum, cujus particulam adscripsit Seneca Suasor. I, 1, qui laudat Pedonem, quod tanto spiritu Oceanum navigante Germanico descripserit. Drusi filium, qui tralaticio more hoc nomine gaudet, dici putant, et Pedonem, quem Tacit. Ann. I, 60 equitibus praefuisse in Germanici expeditione a. 768 auctor est, illius carminis scriptorem esse existimant, quod mihi quidem non persuadent: nam virum militarem et rerum, quas scripturus erat, arbitrum, declamatorio more duci suo laborum praeconium tribuisse, cum nuda rerum veritas poeticam artem factitanti commodam materiam praeberet, non est verisimile: decent haec umbratilem hominem, quem Ovidii sodalem fuisse consentaneum. Neque ille videtur carmine suo maritimum iter filii Drusi, sed ipsius Drusi descripsisse: cum enim hic primus Romanorum ducum, ut Sueton. Claud. 1 dicit, Oceanum septentrionalem navigaverit, par est poetarum studia magno hoc et memorabili facinore statim excitata esse: nam Germanicus tantum patris et Tiberii vestigia pressit. Germanici autem cognomen ex SC. ipsi Druso posterisque ejus decretum esse testatur Suet. ib.: itaque Senecam ea appellatione usum esse non mirum, atque Strabo VII, 291 filium ut a patre sejungeret *νεώτερον Γερμανικὸν* appellat; Tacitus Germ. 34 Drusum Germanicum illa Oceanum tentavisse scribit, satisque habuit primam hanc expeditionem, cujus fama nobilissima fuit, memorasse, praetermissis Tiberii et Germanici expeditionibus. Ad Drusum refero etiam Crinagorae epigramma Anth. P. IX. 283, quod scriptum videtur a. 743 extremo vel a. 744 ineunte post alteram Drusi expeditionem:

Οὔρεα Πυρηναῖα καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις,
αἱ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
μάρτυρες ἀκτίνων, Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν
ἀστράπτων Κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον·
οἱ δ' ἄρα δουπήθησαν ἀολλέες, εἶπε δ' Ἐνυὼ
Ἄρεϊ· τοιαύταις χερσὶν ὀφελλόμεθα.

ita enim pro *ὀφελλόμεθα* omnino scribendum. Praeoccupavit igitur poetarum adsentatio Germanici cognomen, quod mortuo demum Druso senatus decrevit. In Anthologia carmen perperam refertur ad Neronis patrem, sed scribendum *εἰς Γερμανικὸν τὸν πατέρα Νέρωνα*, h. e. Drusum.

3) Post Augusti decessum a. 769 Germanicus conatus est fines imperii denuo usque ad Albim proferre, quod etiam testantur tituli reliquiae, quas Mommsenus p. 132 pri-

fide Romanorum perseveravisse constat [1]), velut in Frisiis, qui stipendiarii erant facti a Druso, praesidia erant Romana (Tac. Ann. I, 60. IV, 72), item Chauci, quos Tiberius in ditionem receperat, non desciverunt, (Tac. I, 60. II, 17 [2]), neque Ampsivarii imperii Romani immunes videntur fuisse (Tac. II, 8.). Ineptum igitur Flori acumen II, 30: *hac clade* (Variana) *factum est, ut imperium, quod in littore Oceani non* (corrigas *m o d o*) *steterat, in ripa Rheni fluminis staret,* oportebat enim Albis ripa, non Oceani littus dici, nam in hac quidem parte imperium Romanum non est imminutum [3]).

P. V, 12 Mommsenus scripsit:

[*Alpes a reg*]ione ea, quae [p]roxima est Hadriano mari, [*ad Tuscum imperio adjeci*].

---

mus edidit: inscriptionem pertinere ad arcum propter devictos Germanos Germanico structum recte vidit Henzenus; videtur autem titulus frustulorum justo ordine restituto ita redintegrandus:

Germanico Caesari Tib. Caesaris filiO
Divi Augusti nepoti, divi Iuli pRONep. (legitur PON.)
Qui Germanorum gentis debellavit, primORIBVS eorum
caesis in acie aut captis et Arminio bis exVTO CAstris,
QVI IN dicionem rOMANam omnem GermaniAM INDE a Rheno
fLVMINe ad Oceanum usque et Albim fluvium redegit, cujus-
QVE SVNt ductu, Tib. Caesaris auspiciis, signa cum Varo amissa
RECIPerata.

novissima hujus tituli verba Tacitus Ann. II, 41 respexit scribens: *fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii . . . dicatur.* Cum primore titulo componas, quae idem II, 22 prodidit: *Caesar congeriem armorum struxit superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monimenta Marti et Jovi et Augusto sacravisse*, quemadmodum etiam prioris proelii monumentum struxit, subscriptis devictarum gentium nominibus (II, 18.). Arminius quoniam eo anno duobus proeliis fusus ac fugatus est, bis castris exutus esse dicitur, neque enim haerendum in castrorum commemoratione, vid. Tac. II, 46: *ni Maroboduus castra in colles subduxisset.*

1) Castella per Albim flumen a Druso disposita, quae Florus II, 30 commemorat, (nisi forte declamator haec de suo addidit) Romanos retinuisse non est verisimile.

2) In Chaucis a. 767 sub ipsum Augusti excessum vexillarii castra aestiva habuerunt, sed quod Tacitus Ann. I. 38 scripsit praefectum castrorum, cum seditiosos milites in hiberna reducturus esset, *vexillum ad ripam vertisse*, indicare videtur, stationem non ita procul a Rheni ripa fuisse: nam si in Chaucis vexillarii erant, trajiciendum fuit Amisiae flumen, ut per Frisiorum fines ad Rhenum pervenirent: itaque aliquando suspicatus sum *in Chamavis* corrigendum esse, sed fortasse negligentior fuit Tacitus *vel ad Rheni ripam* scripsit.

3) Rhenum imperii terminum etiam Nicol. Damasc. in vita Augusti (fr. 99) agnoscit: *ἡμερωσάμενος ὁπόσοι ἐντὸς Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν*, h. e. *cis Rhenum*, non ut interpretibus visum *trans*. In excerptis Diodori l. XIV offendit *ἡ μὲν ἐπὶ τάδε τοῦ Ῥήνου* et *ἡ δ' ἐπὶ θάτερα*, quae ei, qui Romae scripsit non conveniunt; aut ipse Dionysius peccavit, servans Graeci scriptoris quem sequitur verba, aut is, qui Dionysii librum in breviarium redegit, turbavisse censendus est.

quod supplementum videntur graecae interpretationis reliquiae commendare KA, unde Mommsenus haec refinxit:

Ἄλπ[ει]ς ἀπὸ [τοῦ πελάγους τοῦ Ἐἰονί]ου μέχρι Τυρ[ρηνικοῦ τῇ ἡγεμονίᾳ προσέθη]κα.

at *imperium* desiderat additamentum aliquod, et quamvis hic P. R inserere liceat (cf. VI, 6), in Graecis *τῇ Ῥωμαίων δήμου* vel *τῇ ἡμετέρᾳ ἡγεμονίᾳ* litterarum numerum excedit. Dedi igitur:

[*Alpis a re*]gione ea, quae proxima est Hadriano mari, [*usque ad inferum subeg*]i.

GIONE Mordt., IONE Perr., ONE Luc. Chis., tum /ROXIMA Perr., PROXIMA rel.; denique I· solus Mordt. Graeca autem ita restituenda videntur:

Ἄλπεις ἀπὸ [ὁρίων τοῦ Εἰονίου κόλ]που μέχρι Τυρ[ρηνικοῦ πελάγους ὑπέτα]ξα.

in lapide est *ΑΛΠΗΣ*, *ΤΟΥ*, *ΚΑ*, et deinde *ΟΥΔΕΜΙ* pro *οὐδενί*. Suetonius Aug. 21: *Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit, nec ulli genti sine justis et necessariis causis bellum intulit* cum hunc ipsum locum respicere videatur, aliquando conjeci ibi scribendum esse *Alpinas* pro *alias*, nunc nihil novandum censeo; Suetonius, quae Augustus semel monuisse satis habuit, haud inepte universim extulit [1]. In inscriptione arcus in hujus rei memoriam aedificati, quam Plinius H. N. III, 136 servavit, corrigendum: *quod ejus ductu auspiciisque gentes Alpinae omnes, quae a mari supero ad inferum pertinent, sub imperium pop. Rom. sunt redactae;* legitur enim *pertinebant* [2]; item in gentium indice qui primum obtinent locum, non *Triumpilini*, sed *Trumpilini* vocabantur, quod reliquiae illius tituli superstites (Mommsen Add. 132) plane confirmant PVMPILI. Atque supra apud Plin. 134 pars codd. praebet *Trumplini* (*Trumpleni*), ut fortasse ipse Plinius scripsit, nam arctiorem hanc formam alius titulus (Bulletino 1833, 118) *Trumplini et Benacenses* tuetur [3].

---

1) Non temere, opinor, Augustus justum hoc bellum fuisse affirmat, de aliis bellis nihil ejusmodi testatus; fortasse maligni obtrectatores vitio verterant principi, quod Alpinis gentibus bellum intulisset: has criminationes ut refelleret, videtur Augustus hoc addidisse, neque causa est, cur huic testimonio fidem denegemus.

2) Praeterea nescio an *quod . . . sint redactae* sit scribendum, quemadmodum alias in honorariis titulis conjunctivus adhiberi solet, quamquam etiam indicativus admissus est, vid. Vespasiani titulum ap. Orell. I, 742, Antonini Pii ap. Zell. Del. 1500, Constantini ap. Orell. I, 1075.

3) Alpinas gentes ab Augusto adjectas esse imperio Romano Vellejum II, 38. 39 non credo praetermisisse, ubi recenset, quae cujusque ductu natio redacta sit in formulam provinciae: quae 39, 2 de Augusto leguntur: *Divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentis, quarum titulis forum ejus praenitet, paene idem facta Aegypto stipendiaria, quantum pater ejus Galliis* (*Galli*) *in aerarium reditus* (*redditus*) *contulit* mutilata esse insignis orationis scabrities ostendit; videtur scribendum esse: *Divus Augustus praeter Hispanias alias quoque gentis, quarum* t. f. e. *praenitet, peni(tus pacavit, Alpis maritimas imperio P. R. adjecit), idem facta Aegypto stipendiaria quantum pater ejus Galliis in aerarium praedae contulit.* Nullo enim modo Aegypti reditus, qui fue-

P. V, 14 Scripsi:

Clas[*sis Germanica Oceanum*] ab ostio Rheni ad sólis orientis regionem usque ad [*sinum Codanu*]m navigavit.

cum antea proposuissem: *Class*[*is meo jussu et auspicio*], sed hoc supplementum, quamvis huic loco conveniens, minus placet, quoniam eadem verba statim redeunt (V, 18), ac litterarum quoque numerus aliquanto major est, neque graeca interpretatio hoc additamentum admittere videtur. Mommsenus initium instauravit in hunc modum: *Cla*[*ssi qui praeerat meo jussu*], secutus graeci exempli vestigia, ubi *ΣΤΟΛΟΥ* . . . . *ἔπλευσεν* extat; at prorsus incredibile Augustum Tiberianae expeditionis in extrema Germaniae a. 758 susceptae memoriam ad istum modum perstrinxisse, quo uti solet, ubi de Antonio, Lentulo, aliis verba facit [1]). Possunt plura tentari, velut *clas*[*sis nostra incolumis*], sed praeoptavi id, quod posui [2]), quoniam Oceani septentrionalis navigatio inprimis arduum et periculosum opus esse videbatur, itaque Sueton. Claud. 1 Drusum dicit *primum Romanorum ducem Oceanum septentrionalem navigasse.* Tiberiana autem classis etiam ulteriora penetravit, de qua expeditione Vell. II, 106: *classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta . . . . . exercitui Caesarique se junxit.* Neque aliter Plinius H. N. II, 167: *Septentrionalis Oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium et inde inmenso mari prospecto aut fama cognito Scythicam ad plagam et humore nimio rigentia*, quo loco Mommsenus usus suspicatus est in indice scribendum esse *usque ad* [*Cimbrorum promontariu*]*m*, sed eam suspicionem ipse abjecit, cum spatium tot litteras non capiat. Codanum sinum, quem Mela III, 6 et Plinius IV, 96 memorant, restitui, ac nunc demum intelligitur, cur Semnones ad Viadrum colentes amicitiam Romanorum expetiverint,

---

runt maximi, poterant aequiperari Galliarum vectigalibus, neque Aegypti vectigalia in aerarium inferebantur: itaque aut *reditus* tanquam ineptum additamentum plane de medio tollendum, aut gravior latet corruptela; interim *praedae* scripsi, ut de manubiis Actiaci triumphi sermo fiat, (cf. Vellej, II, 40,3: *longeque majorem omni ante se illata pecunia in aerarium . . . ex manubiis intulit*) quas Gallicae praedae aequiparabiles fuisse consentaneum. Pecuniae summam in Caesaris triumphis latam tradit Vell. II, 56, 2, adde Appian. B. C. II, 102, sed neque hi testes inter se conveniunt, neque scimus, quantum ex hac summa ad Gallici belli manubias pertineat: omnino autem numerus, quem Vellejus exhibet, exspectatione minor est. Quorsum pertineant Varronis verba de vita P. R. lib. IV (Non. p. 148): *itaque rettulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque*, incertum.

1) Classi quis fuerit praefectus, nescimus: fortasse Sentio Saturnino hoc negotium datum (cf. Vell. II, 105), cui ob res hoc bello gestas ornamenta triumphalia decreta sunt (Dio C. LV, 28); nam Tiberius pedestri itinere exercitum ad Albim duxit (Vell. II, 106), Drusus vero et postea Germanicus ipsi navigaverunt Oceanum septentrionalem.

2) Germanicam classem dicit Tacit. Hist. I, 58, adde Jul. Capitol. vit. Pertin. 2; ac tituli complures hoc nomen testificantur. Eam classem Drusum instruxisse auctor est Flor. II, 30.

quamquam alia quaque nomina possunt optari, sed tenendum orientis, non septentrionis plagam dici.

In Graeco exemplo *ΣΤΟΛΟΥ* ferri non posse apparet, scripsi: *Στόλος* [*Γερμανικὸς Ὠκεανὸν ἀπὸ τοῦ Ῥή*]*νου ὡς πρὸς* [*ἀνατολὰς μέχρι Κοδανοῦ κόλπου ἔπ*]*λευσεν* et deinde *προ*[*σῆλθεν*], non *προῆλθεν*, quod Mommseno placuit. *Ostii* vocabulum interpres praetermisit, neque *ejusdem tractus* vertit.

Cimbrorum legationem et munera etiam Strabo VII, 293 commemorat; grande ahenum, quod Cimbri Augusto tradidisse dicuntur (*ἱερώτατος παρ' αὐτοῖς λέβης*), videtur non diversum esse a cratera ahenea (*κρατὴρ χαλκοῦς ὅσος ἀμφορέων εἴκοσι*), quae Posidonio auctore, ut opinor, tradit geographus: de legatione fando audivit. De Tiberiana hac expeditione si plura comperta habuisset, non erat scripturus p. 294: *τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ ὠκεανῷ παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν· οὔτε γὰρ τῶν προτέρων οὐδένα ἴσμεν τὸν παράπλουν τοῦτον πεποιημένον . . . . οὐδ' οἱ Ῥωμαῖοί πω προῆλθον εἰς τὰ περαιτέρω τοῦ Ἄλβιος.* Nondum enim quisquam rerum scriptor, cum Strabo opus suum absolvit, novissima Augusti tempora enarraverat: Augusti hunc commentarium publice propositum quamvis adhibere licuisset, neglexit. Omnino quae de his temporibus Strabo tradit, aut audivit ex aliis, aut praesens interfuit, velut Germanici triumphum non secundum acta diurna, sed ipse arbiter descripsit. Atque inde etiam repetendum, quod de sedibus gentium quae apud Strabonem leguntur non omni ex parte conveniunt cum memoria ejus temporis, quo haec scripta sunt. Velut cum gentes Rheni ripam sinistram accolentes enumerat, Sequanos, Mediomatrices, Tribocchos, Treviros recenset, quod congruit cum Caesaris descriptione (B. G. IV, 10); is enim Ariovisto devicto Sequanis restituit agros Rheno finitimos, Tribocchis, qui jam ante Caesarem domicilia in citeriore ripa collocaverant, eas sedes concessit: sed falluntur, qui etiam Nemetes et Vangionas in eadem ripa coluisse existimant: his nullus omnino locus est, atque Nemetes in dextra ripa ad silvae Hercyniae meridionalem tractum tunc habitavisse ipse Caesar auctor est (B. G. VI, 25), his autem finitimi fuerunt septentrionem versus Vangiones. Neque vero Caesarem sequitur Strabo, qui tradit Tribocchos antea in ulteriore ripa consedisse, de qua re nihil prodidit Caesar: Strabo hic quoque videtur Agrippae commentariis usus esse, eo autem tempore, quo hi compositi sunt, harum gentium eaedem fuerunt sedes, quas Caesare imperante obtinuerunt. Sed postea Tribocchi deducti sunt in agros Sequanorum, Vangionibus concessae Tribocchorum sedes, Nemetes denique ex silva Hercynia item in citeriorem ripam translati Mediomatricum fines occupant. Quod Strabo has vicissitudines ignorare videtur, inde minime colligendum est post geographi aetatem haec novata esse; ac videtur ipse hanc immutationem quamvis obscure significare, namque IV, 194, ubi dicit Suevos, qui interiora Germaniae incolunt, solitos esse gentes ripam Rheni accolentes vexare et de suis sedibus depellere, addit: *ὑφ' ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς Ῥήνου νυνί*, ubi perperam de Ubiis cogitant vel etiam Ubiorum nomen restituendum esse censent; nam paucis

versibus ante Strabo dixerat Ubios ab Agrippa volentes transductos esse, quae multis annis ante quam scripta sunt haec accidisse geographus temporum bene gnarus compertum habebat: neque ad Sigambros aliasque gentes a Tiberio a. ut videtur 746 in sinistra Rheni ripa collocatas [1]) hic Strabonis locus referendus, qui exiguam tantum Sigambrorum partem in ulteriore ripa relictam esse ipse testatur VII, 291: nam haec quoque nimis remota. Vocula *νυνὶ* quando Strabo utitur novissima tempora notat, plerumque initia Tiberii, vel extremos Augusti annos [2]); huc igitur etiam spectant, quae supra scripsit, gentes a Suevis suis sedibus extorres in citeriore ripa domicilia accepisse. Neque in inferiore, sed in superiore Germania haec gesta sunt: Vangiones enim et Nemetes dicere videtur, quibus dediticiis Romani novissima Augusti aetate agros in sinistra ripa assignaverint. Quod si integer servatus esset alius Strabonis locus VII, 290, plana res foret: quem locum obscuritate laborare recte Kramerus intellexit, neque vero sufficit *ταύτης δὲ τὰ μὲν* (*ἔθνη*) scribere, sed corrigendum est: *ἔστι δὲ τὰ μὲν πρῶτα ἔθνη* (libri *μέρη*) *τῆς χώρας ταύτης τὰ πρὸς Ῥήνῳ μέχρι τῶν ἐκβολῶν ἀπὸ τῆς πηγῆς ἀρξαμένοις·* hic ordine recensuerat Strabo gentes Germanicas, quae Rheni dextram ripam a fonte usque ad ostia accolebant, sed librarii hunc recensum praetermiserunt; tum pergit: *ταύτης δὲ τὰ μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι, τὰ δ' ἔφθη μεταστάντα εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μαρσοί· λοιποὶ δ' εἰσὶν Οὐσίποι* (ita emendanda librorum scriptura *ὀλίγοι*, atque video nunc id ipsum etiam Madvico placuisse) *καὶ τῶν Σουγάμβρων μέρος.*

P. V, 18 seq. locum passim male habitum et expeditu difficilem, quandoquidem graecae interpretationis subsidio fere caremus, maxima ex parte praeclare restituit Mommsenus, sed quod scripsit:

> [*plurim*]aequ[*e h*]o[*min*]um [*g*]en[t]is u[*trius*]que [c]o[*piae*] caesae sunt in acie [*et*] m[*ulti h*]om[*ines*] capti.

displicet *hominum copiae,* et litterarum vestigia aliud quid ostentare videntur. Apud Perrotum legitur ///////AEQVIETO//IVM· CENIISVI ///QVE OI //// sed pleraeque litterae evanidae et detritae, apud Mordt. AEQVEETO //////EN//VL////V. Non dubito quin hic AEGYPTO delitescat, itaque prima verba cum praegresso enuntiato copulanda sunt, scripsi igitur:

> in Ar[*a*]biam, quae appel[*latur*] eud[*ae*]mon, [*procul ab*] Aegypto [*si*]tam.

Proxima Mommsenum recte conformavisse existimo, quamquam aliquantum recessit a litterarum specie: nam Perrot. CAESAE· SVNT· IN· \CILI//M ///// OI· I///AYTI, Mordt. /AESAE· SVNT· IN· ACIEM· ROM//// CAPED, Luc. //ESAE SVNT IN/ICILI //////////SOT TI/////////.

---

1) Solus Eutropius VII, 9 justum dediticiorum numerum (CCCC millia) testatur, quamvis satis perverse res gestas narraverit.

2) Velut VII, 291 Augustum non permisisse legatis suis arma trans Albim ferre: *νυνὶ δ' εὐπορώτερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ πόλεμον.*

Jam Graeca sic refinxi:

[Ὑπ' ἐμοῦ καὶ ἐμοῖς οἰω]νοῖς αἰσί-
[οις δύο στρατεύματα εἰς Αἰθιοπίαν καὶ εἰς] Ἀραβία[ν]
[ἐπέμφθη τὴν εὐδαίμονα, πορρωτέρω κειμένην ἀ]πὸ
[Αἰγύπτου· πολλοὶ κατεκόπησαν ἐν παρατ]άξει, καὶ
[πολλοὶ ἐζωγρήθησαν ἑκατέρου τοῦ ἔθνους·] καὶ προ-
[ῆλθεν . . .]

Verba enim latina *eodem fere tempore* videtur interpres neglexisse.

Cap. XXVII.

P. V, 29 Mommsenus *regis Medorum Arta[bazi] filio* scripsit, quemadmodum est in Graeco exemplo Ἀρταβάζου υἱῷ, neque tamen hoc magni momenti est, nam infra VI, 11 item Ἀρταβάζου praebet, ubi est in indice *Artavazdis*. Scripsi igitur cum Zumptio *Artav[asdis]*, idque ipsum integrum Mordtmannus sibi visus est in lapide legere, Perr. ARTAR/////, unde *Artabazdis* elicere possis. Et nepos hujus, Medorum more avi nomen gerens, *Artavasdes* dicitur V, 30, VI, 11 (nam VI, 1 nomen oblitteratum est), item Armeniorum rex V, 26. Graecus interpres modo servavit quam latinum exemplum suppeditabat formam, modo substituit Ἀρταβάζην, non Ἀρτάβαζον ut visum est Mommseno.

P. V, 33 *e[t antea]* dedi cum prioribus, idque ipsum legitur in lapide, si fides Mordtmanno, nam Luc. E, Perr. I'////, unde perperam Mommsenus *item antea*, neque enim tot litterarum capax est interstitium. — P. V, 31 *Tigranem* correctum a criticis, exempla TIGRANE vel NI.

Cap. XXVIII.

Graecus interpres V, 35 copulam τε inserens videtur latini vocabuli *utraque* vim non satis perspexisse. — Augustus sexto casu utitur, scribens *se colonias deduxisse in Africa* et q. s., quemadmodum supra III, 27: *qui deduxerunt colonias militum in Italia aut in provincis.* Aliud exemplum praebet Munatii Planci titulus (Orelli I, 590): *in Gallia colonias deduxit Lugdunum et Rauricam*, et passim scriptores, velut Livius XL, 34: *Aquileja colonia latina in agro Gallorum est deducta*, quod Madvicus non recte mutavit, quamvis Livius alias accusandi casum praeoptat [1]); item epit. lib. 19: *coloniae deductae sunt Fregenae et in agro Sallentino Brundisium*, lib. 20: *in agro de Gallo capto*, lib. 41: *ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis.* Atque rationem habet haec structura, nam proprie dicebatur coloniam deducere in locum qui erat in

1) Neque tamen Siculi Flacci de condit. agr. p. 136 auctoritate utar scribentis: *in his ergo litoribus Romani colonos miserunt.*

agro sive in provincia, velut est in lege agraria (C. I. L. 200, 61:) *quantum numer[um . . . a triumviris coloniae dedu]cendae in Africa hominum in coloniam coloniasve deduci oportuit licuitve.* Sed in eadem lege 23 et 24: *pro eo agro loco, quo coloniam deduxit,* recte se habet *quo*, quandoquidem non solum ager sed etiam locus coloniae futurae destinatus indicatur. Item alia est ratio ib. 22: [*quo in agro loco III vir i*]*d oppidum coloniamve . . . constituit, deduxitve conlocavitve*, nam hic *deducendi* verbum cum duobus aliis arcta necessitate conjunctum est. Denique Licinianus p. 43 de Lepido: *legem frumentari*[*am*] *nullo resistente l*[*ici*]*tus est*, *ut annon*[*ae*] *quinq.* (nisi *quini* malis) *modi popu*[*lo da*]*rentur*, *et alia mul*[*ta pol*]*licebatur, exules r*[*edu*]*cere, res gestas a Sul*[*la tollere*], *in quorum agri*[*s col*]*onos deduxerat*, *su*[*a re*]*ddere* (nam *retribuere* modulum excedit); ita enim hic locus redintegrandus videtur, quem post Vergilias Bonnenses an alius quis attigerit, ignoro [1]).

P. V, 36 discedendum fuit a Mommseno, qui scripsit:

> Italia au[*te*]m . . . . . . [*colo*]nias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, [*duodetriginta a me*] deductas habet.

at offendit numerus non suo loco insertus, et *militum* sive *ejus modi*, quod ad redintegrandam orationem addere voluit, otiosum. Scripsi:

> Italia autem [*XXVIII colo*]nias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, [*meo jussu et nomine*] deductas habet.

AVTEM Mordt., AV//M Perr., AV vel AVT reliqui; VIVO ME CELEBERRIMAE antiqua exempla, VIV////////E Mord. Perr., HABET priores, HA Mordt., H Perr. Addidi *meo jussu et nomine* (antea *imperio* suaseram), quemadmodum in libro coloniarum, qui in Gromaticorum sylloge extat, militares coloniae fere dicuntur deductae esse, *jussu imperatoris Caesaris a viginti viris est deducta, jussu imperatoris Augusti* (vel *divus Augustus deduci jussit*), *jussu imp. Tib. Caesaris, jussu Drusi Caesaris populus deduxit*, al. Adde Vell. Pat. I, 14: *statui huic loco inserere, quae quoque tempore post Romam a Gallis captam deducta sit colonia jussu senatus: nam militarium et causae et auctores ex ipsarum praefulgent nomine.* Quod Mommsenus dedit *a me*, sane et Sueton. Aug. 46: *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentavit*, et Graeca interpretatio ὑπ' ἐμοῦ videntur commendare, sed in artum illi contraxerunt indicis verba, quemadmodum interpres postea scripsit πληθύνουσαι (in lapide *ΠΛΗΘΥ //AI* est, Momms. πληθύνουσαι), ubi in latino exemplo duo vocabula leguntur, atque certe μάλιστα addi oportebat, sed etiam glossographi praecipiunt: *celeberrimus*: πληθύνων τόπος, ἐπιφανέστατος. Quod Augustus dicit vivo se has colonias frequentissimas fuisse, ipse re expertus erat, militares colonias aegre incrementa capere et infrequentiae identidem subveniendum esse.

1) Quae de Faesulanis deinde narrantur, in hunc modum corrigo: *F*[*a*]*esulani i*[*ru*]*pere* [*s*]*ubi*[*t*]*o castella* [*colo*]*norum Sullanorū*, [*ac pl*]*uribus occisis agros* [*vacu*] *reddiderunt, et* [*in se*]*natu defendebant* [*tr. pl. f*]*acinus agreste.*

Augusti colonias dum vixit prospera conditione usas esse credibile, cf. quae Strabo VI. 259 de Rheginis dicit: *Πομπήιον δ' ἐκβαλὼν τῆς Σικελίας ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ, ὁρῶν λειπανδροῦσαν τὴν πόλιν, συνοίκους ἔδωκεν αὐτῇ τῶν ἐκ στόλου τινάς, καὶ νῦν ἱκανῶς εὐανδρεῖ,* sed postea eandem fortunae vicissitudinem expertae videntur, quam pleraeque omnes, cf. Tac. Ann. XIV, 27. Etiam coloniae, quas in provinciis deduxit Augustus, vivo hoc principe satis prospera fortuna usae esse videntur: Nicopolitanae certe coloniae frequentiam Strabo VII, 325 testatur, crevit autem illa potissimum urbium finitimarum prope desertarum reliquiis, vid. Antipatri epigr. in Anth. Pal. IX. 553. Corinthus quamvis non ab Augusto fuerit deducta, celeberrima fuit urbs, sed quae colluvies advenarum fuerit merito conqueritur Crinagoras (Anth. P. IX, 284), honesta oris libertate usus, quod in Graeco homine istius saeculi et fortunae ut rarum ita laude dignissimum.

Cap. XXIX.

P. V, 39. 40 restituit Zumptius, nisi quod *recepi* scripsit, sed *reciperavi* legendum esse vidit Mommsenus. Exemplum latinum satis male habitum; Perr. et Mordt. MILITA, sed priores MILITARIA· COMPLVR, deinde ///OS///CES AMISSA Luc., ꟷIOS///ꓭS· AMIS// Perr., sed Mordt. ALIOS· DVCES· AMISSA· tum pro DEVICTI exemplum Spanhem. plenius DEVIATI DEQVOQV/, nisi quod Mordt. litteras ST dispexit. RA notavit Perr., ERAM Mordt. V. 40 Perr. Mordt. EX· HIS, sed Luc. EX· HISPANIA· ET· S (Coss. ET· GENT.) Pro ATEIS Coss. ATH//. Neque tamen restitutio incerta, quoniam graecum exemplum fere integrum servatum est, nisi quod *ΠΟΛΕΜΟΥΣ* traditur pro *πολεμίους*. Praeterea *σημέας στρατιωτικὰς* [*πλείους*] scripsi, cum Mommsenus *πολλὰς* dedisset [1]).

Dalmatae a. 706 Gabinium Caesaris legatum cum exercitu ad internecionem deleverunt (Appian. Illyr. 12) et signis Romanis potiti sunt (ib. 25), quae domiti ipsi Augusto a. 721 reddiderunt (ib. 28) [2]). De signis in Gallia amissis et receptis nihil memoriae proditum est; sed fortasse Augustus Lollianam cladem intellexit, qua quintae legionis aquila amissa est (Vell. II, 97): Lollius enim a Germanis, qui Rhenum transgressi Germaniam citeriorem et Galliam depopulabantur (Dio C. LIV, 20), caesus est vel in Rheni ripa, vel in Gallia; et cum Augustus hujus ignominiae nuntio excitatus statim in Gallias profectus esset, Germani Romanorum amicitiam petiverunt obsidibus traditis: itaque verisimile est, tunc etiam aquilam redditam esse,

---

1) Signa, quae a. 692 Bastarnae victo C. Antonio ceperant, Crassus a. 724 non videtur reciperavisse; nam neque Dio C. LI, 26 hoc testatur, neque Augustus hanc laudem hoc loco praetermissurus erat.

2) Etiam Vatinii exercitus a. 710 a Dalmatis gravem cladem accepit (Appian. Illyr. 13), sed signa tunc amissa esse non est memoriae proditum.

quam ex Gallia reciperatam esse si scripsit Augustus, non est mirum[1]. De signis in Hispania amissis nihil prorsus constat, recepta esse bello Cantabrico (729) probabiliter conjecit Mommsenus. Atque huc spectare credo simulacra, quae visuntur in loricata statua Augusti, quae nuper reperta est Romae eo loco, ubi quondam Caesarum villa ad Gallinas fuit. Perperam enim simulacra, quibus principis lorica decorata est, ad signa a Parthis recepta referunt; barbarus qui ibi conspicitur, si Parthus esset, supplex et genibus minor, ut Horatianis utar verbis, signa traderet; recta hominis species arguit de gente ad occidentis plagam vergente esse: idque confirmat captivorum, qui adsunt, habitus, qui quidem Gallicanus maxime videtur, sed canis Romani ducis lateri adhaerens Antistium Octaviani legatum mihi videtur indicare; itaque ad spolia Hispana refero. Hispanorum autem mores a Gallicanis non adeo abhorruisse constat[2].

Ad signa a Dalmatis recepta revoco Virgilianum illud in prooemio Georgicon III, 32:

Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
Bisque triumphatas utroque ab littore gentes,

quos versus neque veteres neque nostri magistri recte interpretati sunt. Tropaea dixit signa restituta, ut Prop. III, 4, 5: *adsuescent Latio Partha tropaea Jovi,* quae signa cum a diversis Dalmatarum nationibus recepisse videatur Augustus, poeta figuratae orationis studiosus id ipsum suo more exornavit; quod si constaret etiam signa a Vatinio amissa Augusto reddita esse, commode *duo tropaea* huc posses referre. Gentes bis triumphatas dicit Illyrios, Dalmatas, Pannonios, quos Augustus primum a. 719, deinde iterum a. 720 debellavit; quas gentes jure suo Virgilius appellat *bis trium-*

1) Ad Lollianam cladem fortasse spectat Crinagorae carmen Anth. Pal. VII, 741, ubi Romani militis facinus aquilam ab hostibus raptam reciperantis in proelio ad Rhenum praeconio ornatur: neque enim quae Florus II, 30 de clade Variana et aquila per signiferum hostibus erepta narrat, cum Crinagorae narratione conveniunt. Lollianae cladis tempore etiam aliud Crinagorae epigramma scriptum videtur (Anth. IX, 291):

Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμμυραν ἐγείρῃ,
οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
οὕτως καὶ στιβαραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι.

nam Romanos detrimentum aliquod perpessos esse docet quercus exemplum adhibitum, quae immota tempestate stare dicitur, quamvis arida folia decutiantur. Credo poetam eo tempore scripsisse, quo Augustus in Gallias profectus est; jubentur igitur Romani confidere principi prudenter rem publicam gubernanti. Videtur autem ad incursionem Germanorum alia calamitas, repentina Oceani inundatio, accessisse, quae Galliae oram vastavit: neque enim v. 1 accipiendus de gentibus infestis, quas Oceanus effudit; v. 2 temere tentatus, sed v. 5 *στιβαραὶ* scripsi pro codicis lectione *ἱεραί*.

2) Ipsa haec Augusti statua fortasse expressa ad similitudinem statuae, quam Agrippa in Pantheo dedicavit.

phatas, i. e. bis devictas (cf. Ovid. Am. I. 14, 46 *culta triumphatae munere gentis eris* de Germania dicens, et 15, 26: *Roma triumphati dum caput orbis eris*) praesertim cum triumphus de Illyrico statim redeunti Octaviano sit decretus, quamquam nondum actus cum haec scripsit Virgilius. *Littus utrumque* more Virgiliano ripae fluminis vocantur, i. e. Danuvii; sane tunc Transdanuviani belli immunes fuerunt, sed poetae hoc condonabimus, sive quod situm regionum ignoravit, ac Pannonios utramque Danuvii ripam incolere existimavit, sive quod rhetorum argutiis magis quam nuda rerum veritate delectatus est [1]): nam facile apparet consulto duplicem numerum in utroque versu bis adhibitum esse. Virgilii sensa si non sum assecutus, ipse poeta culpandus, qui cum res omnium oculis subjectas praeconio suo ornare vellet, citra necessitatem Lycophronio more tenebras et ambages captavit.

Signa a Dalmatis recepta Augustum in porticu Octavia reposuisse auctor est Appianus Ill. 28: *τὰ σημεῖα δὲ ὁ Καῖσαρ ἀπέθηκεν ἐν τῇ στοᾷ τῇ Ὀκταουΐᾳ λεγομένῃ.* Hanc porticum incendio absumtam, ut Festus p. 178 testatur, reficiendam curavit Caesar Augustus; ut equidem conjicio composito bello Illyrico porticum de manubiis fecit, convenitque ordo, quo Augustus opera a se facta recensens in indice hanc porticum memorat (IV, 4). Huc accedit Dionis Cassii testimonium XLIX, 43, qui res a. 721 gestas enarrans haec addit: *ἐπειδὴ οἱ Δαλμάται παντελῶς ἐκεχείρωτο τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων, τὰς Ὀκταουιανὰς ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας κατεσκεύασεν.* Confundit enim ille porticum Octaviam, quam vere dicit a. 721 de manubiis belli Illyrici aedificatam esse, cum porticu Octaviae et bibliothecis, quas Augustus sororis nomine aliquot annis post dedicavit, ut recte monuit Bekkerus A. R. I. 611, neque vero perspexit, quo pacto Dio sit in errorem inductus; qui quidem error satis habet excusationis, cum utrumque opus ab Augusto sit dedicatum, atque Octaviae porticus etiam Octavia sit vocata, ut Festus significat; praeterea Octaviae porticus multo fuit notior, quam Octavii opus [2]).

Ceterum quod Augustus dicit V, 42: *Ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris, reposui*, referunt ad signa a Parthis recepta, mihi quidem haec verba ad omnia signa hoc capite enumerata videntur referenda esse; nam potuit Augustus signa recepta alia aliis in templis reposita, velut spolia Dalmatica in porticu Octavia, postea in templum Martis transferre, quoniam hanc aedem praeter ceteras omnibus decoribus ornare studebat [3]).

---

1) Nihil offensionis haberet utriusque ripae commemoratio, si poeta praeter illas gentes simul etiam Dacos debellatos respexisset, sed hoc non uno nomine improbabile videtur.

2) Minus recte Bekkerus I, 617 Octavii porticum jam Plinii aetate sublatam esse censet, quod Urlichs Röm. Topogr. p. 144 redarguit.

3) Secundum Dionem C. LV, 10 Augustus etiam in posterum hoc fieri jussit: *ἄν τέ ποτε σημεῖα στρατιωτικὰ ἐς πολεμίους ἁλόντα ἀνακομισθῇ, ἐς τὸν ναὸν αὐτὰ τίθεσθαι.*

Cap. XXX.

Augustus, ubi Pannoniorum gentes devictas et imperio populi Romani subjectas dixit, pergit P. V, 46, quemadmodum Mommsenus conformavit:

Protulique finis Il[*lyrici ad ripam*] fluminis
[*D*]an[*uv*]i[i]. Quod [D]a[*cor*]u[*m transg*]res[*su*]s exercitus meis
. [*auspici*]s pro[*flig*]a[*tus vic*]-
tusque [*est et*] pos[*tea trans Danuvi*]um ductus [*exercitus meus Dacorum*]
gentes im[*peria populi Romani perferre coegit*].

Hic statim offensioni est genitivi forma *Danuvii*, qua non utitur Augustus, vide supra ad IV, 36, caret autem hoc loco omni fide, nam Perroti exemplum exhibet / A Ȝ / / / I T I. Sed multo etiam minus ferri potest *pro*[*flig*]*a*-[*tus vic*]*tusque* est, nam quemadmodum ipse Mommsenus exemplum latinum concinnavit supersunt in versu 47 extremo PRO////A, tum sequitur v. 48 TVSQVE, itaque nullus est locus elementis, quae supplevit TVSVIC. Atque litterarum quoque numerus plane adversatur, nam cum singuli versus sexagena fere elementa comprehendant, v. 47 qui secundum Mommseni restitutionem LXV litteris constat, justum numerum excedit. Permirum quoque Mommsenum deinde [*est et*] *pos*[*tea*] scripsisse, ubi ipse XI litteras, non V deesse notavit. Vulneris sanandi cum plures viae tentari possint, medicinam si non certam at certe probabilem adhibeo hanc:

. . . . . Protulique finis Il[*lurici usque ad*] flumen Is[*tr*]um
[*dom*]iti, quod [*D*]a[*cor*]u[*m transg*]res[*su*]s exercitus meis [*auspic*]is pro[*flig*]a-
tus cae[*susque est*, *et*] pos[*tea trans Istr*]um ductus m[*eus exercitus Dacorum*
gentes im[*peria populi Romani perferre coegit.*]

IL Luc. Perr., ILLYRICI Mordt.; deinde FLVMINIS omnes praeter Coss., qui NVMINIS, nisi quod Mordt. in fine versus praeterea duo loca vacua notavit, haud dubie deceptus Zumptii supplemento *ripam*, itaque in primordio v. 47 PAM sibi legere visus est, ubi Perr. /AȜ///ITI. Scripsi *Il*[*lurici usque ad*] *flumen Is*[*tr*]*um* [*dom*]*iti* [1]), quemadmodum est in graeca metaphrasi *τά τε Ἰλλυρικοῦ ὅρια μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ προήγαγον*, nisi quod interpres neglexit *domiti*, quod ex fuga revocavi. Est autem *domare* et *perdomare* solenne ac proprium ea de re verbum, quo Augustus etiam supra V, 28 utitur, ubi Armeniorum gentem per Gajum domitam esse dicit, ac plane ita de posteriore expeditione Tiberii, qua Illyrici defectionem oppressit, Sueton. Tib. 16: *ac perseverantiae grande pretium tulit, toto Illyrico . . . . perdomito et in dicionem redacto*. Istrum suo jure appellat Augustus, non Da-

1) Malui *Illurici* quam *Illyrici* scribere, si quidem veterem scripturam non solum Fasti Capitolini ad a. 526. 587 et 712, sed etiam Fasti Venusini ad a. 720, item ad eundem annum tab. triumph. Barberin. testantur; sed *Illyricum* est in titulo post a. 752 scripto (Orelli I, 622), item in alio (ib. I, 2365), qui Tiberio imperante incisus est.

nuvium, quemadmodum citeriores scriptores solent; nam ab istius regionis gentibus Ister vocabatur, vid. Plin. H. N. IV, 79: *inde ostia Histri: ortus hic in Germania jugis montis Abnobae ex adverso Raurici Galliae oppidi multis ultra Alpis milibus ac per innumeras lapsus gentis Danuvi nomine, immenso aquarum auctu et unde primum Illyricum adluit, Hister appellatus.* Appianus quoque Illyr. 22, ubi Savus confluit, inde Danuvium Istrum vocitari significat: *ἐπὶ τοῦ Σάου ποταμοῦ, ἐν ᾧ καὶ πόλις ἐστὶν ἐχυρά, τῷ τε ποταμῷ καὶ τάφρῳ μεγίστῃ διειλημμένη, διὸ καὶ μάλιστα αὐτῆς ἐχρῄζεν ὁ Καῖσαρ, ὡς ταμιείῳ χρησόμενος ἐς τὸν Δακῶν καὶ Βασταρνῶν πόλεμον, οἳ πέραν εἰσὶ τοῦ Ἴστρου, λεγομένου μὲν ἐνταῦθα Δανουβίου, γενομένου δὲ μετ' ὀλίγον Ἴστρου· ἐμβάλλει δ' ὁ Σάος εἰς τὸν Ἴστρον, καὶ αἱ νῆες ἐν τῷ Σάῳ Καίσαρι ἐγίγνοντο, αἳ ἐς τὸν Δανούβιον αὐτῷ τὴν ἀγορὰν διοίσειν ἔμελλον.* *Histrum* scribendum esse praecipiunt grammatici, velut Terent. Maur. v. 218 et 785, adde Cassiod. de orthogr. c. 9 (ex Eutyche: *seu fluminis sit, seu gentis vocabulum*), et aspirare solent librarii antiquiores constantius etiam quam novicii; item in titulis *Histria* et *Histri* fere legitur, sed Augustus Graecam consuetudinem secutus est, cf. script. *περὶ πνευμάτων* post Ammonium Valken. p. 230.

Deinde solus Luc. (Chish.) vidit QVODA//V///////VSEXERCITVS //EIS//////////SPRO///A////, Perr. mediam tantum versus partem sed aliquanto pleniorem exhibet RFS//SEXERCITVSNLIS, Mordt. MAGNVS EXERCITVS MEIS — ISPROFLIGA, ubi *magnus* a Zumptio ascitum esse manifestum est; vocabulum satis quidem aptum, praesertim cum apud metaphrastam sit *πολλὴ δύναμις*, credat aliquis deprehendere in primordio QVOD [m]A[gn]V[s, sed *Dacorum* multo magis necessarium, utrique autem vocabulo non est locus. Post novissimam litteram A v. 47 sane Lucas loca vacua notavit, fortasse invitus, nam ut jam dixi *profliga*[*tus vic*]*tusque* si scripseris, versus 47 justo productior fit, itaque necesse est litterae TVSQVE, quas primore versu 48 Luc. Chis. Mord. Perr. exhibent, vitium contraxerint; scripsi igitur TVSCAE [*susque est*], quemadmodum alias quoque A et V confusae sunt, velut V, 47 et VI, 2 et 20. Deinde Luc. Chis. POS/////////VCIVS, Perr. VM· DVCTVS· I\, novissima littera haud dubie M fuit, itaque *M*[*eus exercitus*] scripsi.

Cap. XXXI.

P. V, 50. 51. Latinum exemplum graviter mutilatum, sed quid scripserit Augustus, ostendit graeca interpretatio, omni ex parte incolumis, nisi quod operarii negligentia *τοῦ* post *τούτου* videtur praetermissum esse. Sed quod Zumptius probante Mommseno scripsit: *Ad me ex In*[*dia regum legationes saepe missae sunt*, *nunquam antea* (Mommsenus *adhuc*) *visae*] *apud qu*[*em*]*q*[*uam Romanorum principe*]*m* non uno nomine displicet. Equidem arbitror Augustum scripsisse:

> Ad me ex Ind[*ia regum legationes missae sunt, invisitatae ante id tempus*] apud qu[*em*]q[*uam Romanorum du*]cem.

IND Tournef. Mordt., IN Perr. — QV///Q Luc. Chis., QVEM Mordt., QV Perr. — M· Luc. Chis. Mord.; \I M Perr. i. e. CEM, scripsi enim *ducem*, quod graecum *ἡγεμόνι* confirmat, cf. V, 4 et 39; ac *principem* vix capere videtur interstitium. Legationes *invisitatas* dixit, quemadmodum Livius V, 17 Gallos *in ea parte Etruriae gentem invisitatam* dixit, XXVII, 39: *invisitati antea alienigenis*, et IV, 33: *nova erumpit acies inaudita ante id tempus invisitataque*; neque qui Livium in breviarium redegit lib. XIII scripsit: *elephantorum maxime inusitata facie territis militibus*, sed *invisitata*, eodemque vocabulo usi sunt Cicero et Vitruvius, estque restituendum in versiculis, quibus Ventidius Bassus irrisus est, ap. Gellium XV, 4:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum invisitatum conflatum est recens;
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

ubi *inusitatum* errore tralaticio legitur. Nolui *non visitatae* scribere, nam hoc poetis magis convenit, velut eo vocabulo praeter Plautum usus est Horatius Od. II, 20, 1, quemadmodum jam olim correxi:

Non visitata nec tenui ferar
Penna

nam hic quoque ineptam librorum scripturam *non usitata* aequo animo tulerunt grammatici nostri.

Abjeci *saepe*; nam neque reliqua verba, quemadmodum conformavi, graeci exempli vestigia premens, ejusmodi additamentum admittunt, neque rerum veritati conveniens est: nam *complures* vel *aliquotiens* dicendum erat. Graecus interpres videtur pro arbitrio *πολλάκις* addidisse, ut rem exaggeraret, quemadmodum II, 16 *saepe* interpretatus est *πλειστάκις*.

India Romanis diu fuit incerto tantum rumore cognita, hinc poetae ubi extremos terminos orbis terrarum describunt, Indos memorant, velut Catullus 11, 2. Florus I, 40 per Pompejum dicit omnem Asiam domitam esse exceptis Parthis, qui foedus maluerint, et Indis, *qui adhuc nos non noverant.* Caesarem autem, de tuendo et proferendo imperio consilia in dies majora meditantem, non solum Dacis et Parthis, sed etiam Indis bellum inferre destinavisse (Nicol. Dam. vit. Aug. 26) ferebant, verum haec agitantem mors praevenit. In bello Actiaco inter Orientis populos, qui Antonio auxiliabantur, etiam Indi vel fuerunt vel stipendia meruisse credebantur [1]; hinc Virg. Aen. VIII, 705: *omnis eo terrore Aegyptus et Indi, omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei*, hinc idem in Georg. II, 170: *et te maxime Caesar, qui nunc extremis Asiae jam victor in oris imbellem avertis Romanis arcibus Indum*, quae scripta sunt, cum Augustus bello Alexandrino

---

1) Fortasse Sindi inter auxiliares copias Antonii erant, nam Asander Bosporanorum rex, qui a. 718 imperium auspicatus est, cuique postea Augustus regium nomen concessit, videtur ab Antonii partibus stetisse. Sindi autem et Indi a veteribus non semel temere sunt confusi.

composito in Asia res orientis ordinaret (724/5). Iam inde a proelii Actiaci tempore Indi tanquam Romano nomini infesti a poetis hujus saeculi describuntur. Officiosissimorum hominum studia mirum quantum aucta sunt, postquam Indorum reges per legatos populi Romani amicitiam petiverunt et magnifica munera Augusto obtulerunt; sed solent isti rhetorum more omnia exaggerare ac fingere, quae dominantibus grata acceptaque esse credebant, itaque his poetarum testimoniis cautissime utendum est. Rerum gestarum scriptores duas Indorum legationes testificantur, prior Tarracone (a. 728 vel 729), altera Sami (a. 734) Augustum visit. Prioris legationis memoriam solus Orosius VI, 21 servavit: *Interea Caesarem apud Tarraconem citerioris Hispaniae urbem legati Indorum et Scytharum, toto orbe transmisso, tandem ibi invenerunt, ultra quod jam quaerere non possent*; sed fide dignus auctor videtur, si quidem Horatius Carm. I, 12, 53 scripsit: *Ille seu Parthos Latio imminentes Egerit justo domitos triumpho, sive subjectos orientis orae Seras et Indos*, quod carmen bello Cantabrico compositum esse arguit honorifica Marcelli commemoratio, qui vix pueriles egressus annos huic expeditioni non sine laude interfuit [1]. Quod Horatius Cantabricas res non attigit in illo carmine, non obstat huic conjecturae; nam summatim praesentia perstringit, praeoptavitque novissima, de quibus Romae rumor percrebuerat; quare Indos, qui legatos modo miserunt ad Caesarem, haud immunes fore imperii Romani auguratur, pariter atque Parthos: nam Parthos quoque legationes Tarraconem misisse Justino XLII, 5 tradenti fides habenda, quamquam illius narratio erroris non est expers: sed rerum Parthicarum ordinem expedire difficillimum, neque satisfaciunt, quae Mommsenus ea de re p. 91 exposuit. Scythas autem, cum participes essent dissidiorum, quibus tunc Parthi laborabant, eo ipso tempore Caesarem adiisse, ut Orosius tradit, verisimile est; atque hi quidem Asiani fuerunt Scythae, non Europaei, quamquam scriptores hujus saeculi cum Scytharum nomine utuntur, utros intelligant, saepe ambigas [2].

---

1) Marcellum una cum Tiberio huic bello interfuisse atque etiam a. 729 ineunte in Hispania commoratum esse testatur non inelegans Crinagorae epigrammatium Anth. P. VI, 161, quod non recte *ἀνάθημα παρὰ Μαρκέλλου ὑπάτου* inscribitur, quo honore nunquam functus est: *Ἑσπερίου Μάρκελλος ἀπερχόμενος πολέμοιο σκυλοφόρος κραναῆς τέλσα παρ᾽ Ἰταλίης ξανθὴν πρῶτον ἔκειρε γενειάδα, βούλετο πατρὶς οὕτως καὶ πέμψαι παῖδα καὶ ἄνδρα λαβεῖν.* Redux enim Romae primum barbam deposuit, quem diem Augusti ad exemplum principes solenniter celebrare solebant. Extat de eodem argumento aliud Crinagorae carmen (Anth. VI, 242), quod Antoniae sororis nomine, cui hic poeta vel maxime addictus fuit, compositum esse recte vidit Geistius, sed emendatio non successit; nam pro depravatis *αὔτικα* et *Εὐκλείδην* scribendum: *καὶ εὔσοα* (sive *εὔστοχα* malis) *τῶνδ᾽ ἀπ᾽ ἰούλων Κλαυδιάδην πολιῆς ἄχρις ἄγοιτε τριχός.*

2) Scythas, quos ipse Augustus infra V, 52 suam amicitiam per legatos petiisse testatur, occidentales, qui circa Borysthenem habitabant, intelligendos esse certum, quandoquidem Bastarnae et Sarmatae simul memorantur; sed Horatius c. saec. 55: *jam Scythae responsa petunt superbi nuper et Indi* Orientis gentem dicere videtur: item carm. IV, 14, 42, quod carmen scriptum aliquot annis post c. saeculare (737), ubi Scythas

Ad priorem hanc Indorum legationem etiam referendus Propertianus locus II, 10, 15: *India quin Auguste tuo dat colla triumpho et domus intactae te tremit Arabiae*, nam hoc carmen scriptum a. 729, quo anno expeditio in Arabiam suscepta est, ut recte Hertzbergius statuit; amplas de ea expeditione spes conceperant Romani, ac divinabant ut videtur, Arabia subacta Aelium Galium etiam Indos ad obsequium redacturum esse [1].

Quemadmodum fama Actiacae victoriae et praesentia Augusti in Asia permovit Indos, ut ad orbis terrarum dominum legatos Tarraconem mitterent, ita expeditiones in Aethiopiam et Nubiam quamvis improspero eventu susceptae excitaverunt Indos, ut denno amicitiam populi Romani impetrarent [2]. Haec legatio a. 734 ad Augustum Samum venit, estque priore legatione multo magis nobilitata, qua re nonnulli scriptores hujus tantum mentionem faciunt, velut Sextus Rufus 19 et Florus II, 34; sed Dio Cassius LIV, 9 [3]) Indos jam antea amicitiam Romanorum expetivisse dicit.

De hac altera legatione diversa prodiderunt illius saeculi scriptores; Strabo XIV. 686, cum dixisset paucos mercatores ex Aegypto navibus pervenisse usque ad Gangis fluminis ostia, addit ex hac ipsa regione legatos et dona a rege Pandione ad Augustum pervenisse: facile apparet Strabonem eam dicere regionem, quam alii *Πανδίονος χώραν* appellant, terraeque sive gentis nomen translatum esse in regem illum. Hos autem legatos maritimo itinere Aegyptum petivisse (erat enim jam diu inter maritimos Indos et Aegyptios commercium) et inde ad Augustum profectos esse consentaneum est: sed secundum alios regi Indorum Pori nomen erat, quam famam Strabo hoc loco paucis tantum attigit [4]), sed infra (XV, 719) planius exponit: postquam ex Artemidoro nonnulla de Gange narravit, subjungit ea, quae Nicolaus Damascenus de hac legatione prodidit, quae non petita sunt ex historiis, ut C. Muellerus existimat, sed ex libro de vita Augusti. Nicolao autem accepta refert Dio Cassius [5]), quae LIV, 9 de his legatis narrat.

---

pariter atque Medos et Indos principis potentiam vereri dicit. Sed IV, 15, 55 *Tanain prope flumen orti* Sarmatae potius, quem Scythae dici videntur.

1) Eodem fere tempore videtur scripta elegia II, 9, 29: *quid si longinquos retinerer miles ad Indos.* Sed carmen III, 4, 1: *arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos* aliquot annis post scriptum.

2) Quod Florus II, 34 dicit quadriennium legatos in itinere consumpsisse convenit, quamquam rhetor ineptus omnino parum locuples auctor est.

3) Dio dicit: *καὶ οἱ Ἰνδοὶ προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν, τότε ἐσπείσαντο, δῶρα πέμψαντες.* Etiam Syncellus I, p. 589 ed. Dind. binas legationes testari videtur, quas ad eundem regem refert: *τότε καὶ Πανδίων ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς ἐπεκηρυκεύσατο φίλος Αὐγούστου γενέσθαι καὶ σύμμαχος* et deinde: *Πανδίων ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς φίλος Αὐγούστου καὶ σύμμαχος εἶναι πρεσβεύεται.* Verum chronographis istis non multum tribuendum, nam fortasse Africanus diversis auctoribus usus eandem rem bis narravit et ad diversos annos rettulit.

4) *παρ᾽ ἑνὸς βασιλέως Πανδίονος ἢ κατ᾽ ἄλλους* (ita recte Grokurdius, libri καὶ ἄλλου) *Πώρου.* Non recte de hoc loco Madvicus Advers. I, 561 judicat, *Γανδαρίδας καὶ ἄλλου Πώρου* scribens.

5) Eodem auctore Strabonem et Dionem usos esse argumento sunt, quae apud

Nicolaus Indorum regem Porum Graecam epistolam Augusto misisse dicit, in qua amicitiam Caesaris expetiverit et transitum usquequaque per suum regnum atque cujusque modi auxilium promiserit, ut plane appareat de expeditione Romanorum per Indiam suscipienda agi. Legatos hos pedestre iter confecisse indicant Strabo et Florus, longinquitatem et labores itineris memorantes: itaque consentaneum est, non ex ora maritima, sed ex interiore India profectos esse. Ex nomine autem regis conjicere licet regnum ejus fuisse inter Indum et Hydaspem fluvios, ubi Alexandri tempore item Porus imperium obtinebat; nomen hoc regium illis regionibus solenne fuisse indicio est, quod Alexandri saeculo alius Porus, illius et aequalis et cognatus, Gandaridis regionis rex fuit, v. Strabo XV, 699.

Nicolaus narravit se hos legatos Antiochiae vidisse, quam urbem videntur pervenisse postquam inde decesserat Augustus, itaque continuo Samum profecti sunt, ibique ut Dio dicit, una cum multis aliarum gentium oratoribus [1]) ad Augustum adducti sunt. Indi principem prosecuti sunt Athenas, ubi Zarmarus ex imperio Augusti initiatus est Eleusiniis sacris, quamvis barbarus neque justo tempore: isque ad exemplum Calani patrio more rogum ardentem ascendit ac vitam cum morte commutavit [2]). Nicolaum ut assolet fabulose haec exornavisse verisimile est, sed summam rei si spectamus, huic potius quam Straboni fides habenda videtur, qui cum Indorum legationem a Gangis ostiis profectam esse scribit, sive ipse, sive is, quem geographus hac in parte sequitur, in errorem inductus est, quod *Πανδίονος χώραν* et *Πανδώου χώραν*, quae inter Indum et Hydaspem fuit, confudit.

Secundum Nicolaum Indorum rex Augusto promisit, se opera auxilioque adjuturum esse, si arma infesta Indis inferre vellet: quae fides sit Damasceno, in medio relinquo; illud certum Augustum non obtemperavisse patriae proditori, neque unquam de expeditione omnium periculosissima suscipienda cogitavisse, quamvis Romae vulgo ejusmodi portenta somniarent, et

---

utrumque scriptorem de adolescente bracchiis carente, quem ipse Strabo postea Romae vidit, et de Zarmaro gymnosophista leguntur: alia vel huic vel illi peculiaria sunt, quoniam Nicolai hominis loquacissimi verborum ambages in artum redegerunt, ita ut alter alterius narrationem commode suppleat. Velut Dio inter dona tigres recenset; hinc Suetonius Aug. 43 narrans, si quando quid invisitatum dignumque cognitu advectum esset, Augustum populo spectandum praebuisse, tigrim praeter alia animalia recenset; tigris enim, ut Varro de l. l. V. 100 auctor est, vivus adhuc capi non potuit: Plinius H. N. VIII, 65 Augustum primum omnium mansuefactam tigrim a. 744 in dedicatione theatri Marcelli ostendisse narrat, sed Dio C. LIV, 26 theatrum illud jam a. 741 dedicatum esse refert. Elephantorum neuter mentionem facit, sed Florus II, 34, atque in hujus rei memoriam in Augusti nummis elephanti figura passim conspicitur.

1) Aethiopum legatio, quam Strabo XVII, 821 memorat, Samum venit proxima priore hieme (733/4), apparet igitur Petronium etiam a. 733 praefuisse Aegypto.

2) Etiam Plut. vit. Alex. 69 gymnosophistae hujus in rogo ardenti vita defuncti mentionem facit, sed Caesarem non Augustum nominat; fando enim haec inaudivit Plutarchus, nam Indi monumentum Athenis etiamtunc rei memoriam tuebatur.

poetae impune incredibilia fabularentur [1]. Sed fidem omnino excedit, quod Schol. Veron. Virg. Aen. VI, 795 scripsit: *Indos enim Aug[ustus super]avit*, et Servius ad Georg. III, 27: *Gangaridae populi sunt inter Indos et Assyrios, habitantes circa Gangem fluvium, ... hos etiam devicit Augustus, unde est:* (Georg. II, 172) *Imbellem avertis Romanis finibus Indum* [2]. Vana haec fabula ex male intellecto Virgilii loco orta, sed tenebricosus poetae sermo errori ansam dedit. Solent nostri homines didascalica carmina a germanae poesis virtute procul segregare, sed Graeci quidem et Romani homines eos, qui in hoc poesis genere operam et industriam collocaverunt, hac laude nequaquam orbandos censuere, ac Virgilius inter didascalicos poetas non solum Romanorum, sed etiam Graecorum, quorum carmina extant, facile principem obtinet locum. Verum prooemium, quod praemisit Georgicon libro III, inficetum prorsus et intempestivum additamentum est; quis enim aequo animo ferat, poetam pauperculum et principis sustentatum beneficiis minantem, se principi templum amplissimis artis operibus magnifice decoratum dedicaturum ludosque editurum esse, in quibus centum quadrigae mittantur [3]; et hunc quidem splendidum pannum attexuit libro, in quo de pecudum cura disserit. Quod si quis poetas aequales indignum in modum principibus viris adulantes et vanissima quaeque promittentes exagitare voluisset, fortasse veniam impetraret: verum ab hac irrisione plane alienus Mantuanus poeta. Sed has Virgilii ineptias etiam transgressa est interpretum tam veterum quam nostrorum levitas, qui existimant poetam Georg. III, 26:

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,

victoriam Augusti de Indis ad Gangis fluminis ostia reportatam praedicavisse. Tolerabilis poetarum vanitas, si futuram laudem principi assignant [4], velut Virg. Aen. VI, 794: *super et Garamantas et Indos proferet imperium*, ac rursus VII, 605: *seu tendere ad Indos Auroramque sequi* (*parat*), vel si incredibilia de se promittunt, velut Propertius II, 9, 29: *quid si longinquos retinerer miles ad Indos* [5]. At hic non de rebus futuris, sed de peractis poeta verba facit, ut ea quae subsequuntur planissime docent: commenticia pror-

---

1) Trajanus cum classe per Tigrim vectus pervenisset ad sinus Persici oram, perhibetur dixisse, se si aetatis flore frueretur, Alexandri exemplo usque ad Indos penetraturum esse, Dio C. LXVIII, 29; hinc Eutrop .VIII, 3 et Cassiod. in Chron. finxerunt, eum in mari rubro classem instruxisse, ut per eam Indiae fines devastaret.

2) Adversatur libellus de vir. illustr. 79: *Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos non domuerat, dona miserunt*, de Indis certe ab errore cavens.

3) Si Virgilius aemulatus est Graecorum Asianorum assentationem, (cf. quae dixi supra p. 5), hoc commentum etiam magis inficetum, quoniam inventionis laude poeta tunc fraudandus foret.

4) Ejusdem generis est Horatianum carmen III, 5, 2: *praesens divus habebitur Augustus, adjectis Britannis imperio gravibusque Persis.*

5) Neque gravioris momenti sunt, quae idem poeta scripsit IV, 3, 9: *Te modo viderunt ... Hibernique Getae pictoque Britannia curru, Ustus et Eoo decolor Indus equo.*

sus pugna inseritur rerum vere gestarum ordini, si illos sequimur interpretes. Qui principi res attribuit, quae neque unquam fuerunt, neque geri poterant, manifesti mendacii reus est: sed ab hoc crimine liberabimus Virgilium, qui non *pugnam Gangaridum* dixit, sed *solidum ebur Gangaridum* h. e. *Indicum*, id quod vel justus verborum ordo flagitat: *pugnam* autem sane obscurius dixit proelium Actiacum, quemadmodum etiam proxima eadem ambiguitate et tenebricosi sermonis ambagibus laborant, ut interpretes saepius a vero aberrare non sit mirum [1]. Hac victoria quoniam denuo stabilita erat res Romana, poeta Augustum tanquam alterum urbis conditorem *Quirinum* appellavit: nam hic quoque poetarum assentatio praeoccupavit honores postea publica auctoritate principi decretos: etenim anno 727, cum Octavianus Augusti cognomen Munatii Planci sententia assumpsit (Suet. Aug. 7), alii Romulum appellandum censuere, idque cognomen ipsi principi inprimis probatum esse auctor est Dio C. LIII, 16 [2].

Denique proletarii scriptores una cum Indis fere aliarum gentium legationes memorant, (secuti Flori exemplum II, 34, qui Scythas, Sarmatas, Seras adjungit), velut Aurel. Vict. [3]) caes. 1 Scythas, Garamantas, Bactros, epitome, quae Victoris nomen prae se fert, Scythas, Garamantas, Aethiopas, Eutropius VII, 5 Scythas tantum et Indos dicit *„quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat"*, Rufus 19 solos Indos nominat.

P. V, 51—53 Graecus interpres verba latini exempli: *et Sarmatarum [qui sunt citra fluviu]m Tanaim [et u]ltra reg[es]* perperam intellexit: καὶ Σαρματῶν οἱ ἐπιτάδε ὄντες τοῦ Ταναΐδος ποταμοῦ καὶ οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς, ubi scribere debebat τῶν ἐπιτάδε ὄντων καὶ τῶν πέραν. Ultimum vocabulum βασιλεῖς in lapide traditur *ΒΑΣΙΛΕΕΣ*.

---

1) Velut nuper Ribbeckius Proleg. Virg. p. 20 perperam v. 28 seq. non solum Actiacum sed etiam Siculum bellum respici existimat, item male v. 32 de spoliis Orientis et Occidentis in triumpho expositis cogitat, de quo versu dixi supra p. 106.

2) Servius ad Georg. III, 27 et ad Aen. I, 292 Suetonio auctore tradit tria nomina Caesaris, Augusti, Quirini principi oblata esse. Locos hos, quos Reifferscheidt plane neglexisse videtur, Rothius p. 286 detortos esse censet ex iis, quae Sueton. 7 de cognomine Thurini dicit, assentiente Ribbeckio, non recte; nam sumpsit haec Servius ex Suetonii libro de anno Romano, cf. Lydus de mens. p. 101, ubi exposuisse videtur tractatum esse in senatu, utrum Augustus an Romulus sive Quirinus vocaretur (cf. Flor. II, 34): sed Servius memoriter haec enarravit, itaque inepte dicit tres partes populi consentiente senatu ei obtulisse tria cognomina, nescius, quae tres populi partes essent (de quibus vid. Indic. VI, 24.) Ceterum ipse Augustus (Ind. VI, 17) testatur se ex senatus auctoritate hoc cognomen adeptum esse, Vell. II, 91 populum addit, atque ita Dio C. LIII, 16, Censor. 21.

1) Lydus de magistr. p. 200 Victorem de bellis civilibus adhibet, verum quae inde de frumentariis adscripsit, non quadrant in ejusmodi opus: sed frumentariorum fit mentio in Caes. c. 39 in vita Diocletiani.

Cap. XXXII.

P. V, 54—VI, 3 tam latinum quam graecum exemplum multis hiatibus deformata sunt, sed hic quoque plerumque alterum alterius inopiae subvenit. Ceterum apographum tituli Ancyrani, quod confecit Hamiltonus, hic parum fidele esse apparet, nam quod notavit vacua loca 17, 2, 3, 4, 5:

ΧΩΝ///////ΝΩΝΔΟΜΙ//Ο/ΔΑΑΑΥΝΟΣ//
ΚΑΙΤ////////ΒΡΟΝ//ΑΙΔΩΝΜΑΡΚΟ///
ΜΑ///////////////ΣΕΜΕΡΑΣ//ΕΙΣ//
ΠΑΡΘΩΝΦΡΑ/////ΥΙΟ////ΟΥΣ////Ω//
ΝΟΥΣ

nihil plane in versuum fine detritum est, sed novissima prioris versus continuo excipiunt prima proximi versus: atque hinc non est dubium, quin interstitia in mediis versibus majora sint, quam Hamiltonus delineavit. Mommsenus nonnulla prospere expedivit, sed quod scripsit [*Albanorum*] *Artaxares*, parum probabilis conjectura videtur, si quidem modo legimus (V, 53) Albanorum regem Augusti amicitiam per legatos petivisse, neque graeca interpretatio, quae suppeditat *ΑΔ///ΧΩΝ* magnopere eam suspicionem confirmat. Difficile sane in re incerta conjecturam periclitari; antea proposui [*Adiabenorum*] *Artaxares*, nam quamvis Adiabeni Semiticae stirpis propago fuisse videantur, regum tamen nomina apud Tacitum, Josephum, Dionem Cassium fere ab Arica origine descendunt, velut *Monobazus*, qui etiam *Βαζαῖος* dictus est, *Izates*, quod cum persico nomine *Izabates* componas, *Μηβαρσάπης*, neque Graeca nomina aspernantur [1]), ut *Helena* arguit, Iudaeorum illa quidem sacris addicta. Nunc praeoptavi *Moschorum*, quorsum tendunt Graeci exempli reliquiae, nam *ΑΔ* male lectum pro Μ; est igitur scribendum *Μ*[*ός*]*ΧΩΝ* [*Ἀρταξάρης*]. De Moschis cf. Tacit. Ann. XIII, 37: *tuncque primum inlecti Moschi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae incursavit*, ita enim verissime Ritterus correxit: in librorum lectione *insochi* possis sane conjicere delitescere *Heniochos*, quemadmodum in Plinianis libris VI, 12, 26 et 48 scribitur *emochi* vel *moci*, sed regionis natura apud Tacitum Moschos requirit. — Brittannorum regum nomina secundum latinum exemplum Luc. Mordt. Perr. DVMNO· BELLA, sed plenius solus Chish. DAMNO· BELLA /// ET· TIM///, secundum graecam interpretationem *ΔΟΜΙ// Ο/ΔΑΑΑΥΝΟΣΚΑΙΤ,* quae Chishulli lectionem satis confirmat, quamquam alterum nomen non licet redintegrare. Nomen Dumnobellauni diremtum distinctione, ut fieri solet in compositis vocabulis, velut est II, 21 SACRO· SAN(*ctus*), III, 32 PER· SOLVI: improbat hoc merito scriptor de orthographia (Mar. Victor. I, 4, 93): *PR quotiens praetorem significare vultis, nolite interpungere, ne fiat populus Romanus, nec composita, qualia sunt, levianima, bidu-*

---

1) Graecorum et sermo et instituta magis magisque per has regiones propagata sunt, ita tamen ut haud dubia insitae barbariae vestigia appareant, velut Colchorum nummi ostentant, in quibus legitur *ΒΑΣΑΕΩΣ ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΥ ΚΟΛΧΑΟΣ.*

ancula (scribendum videtur *semianima, triangula*), *tardigrada: haec enim fiunt specie et significatione unum.* Deinde Mommsenus verissime [*Sugambr*]*orum Maelo* restituit, sed quod scripsit *Mar*[*c*]*omanorum Suebor*[*umque complures*], ubi Mordt. plene *Marcomanorum*, Luc. Chis. SVEBOF, Perr. SVEBOP, Mord. SVEBOR, unde priores *Marcomanorum Suebo* inaudito nomine scripserunt, displicet: nam praesertim Marcomanorum gentis potentissimae reges nominatim recenseri par erat, neque illius supplementi capax spatium. Scripsi igitur:

Marcomanorum Suebor[*um Maroboduus.*]

ut duobus simul nominibus Marobodui imperio subjecti significentur. Marcomani sunt gentiles Marobodui, qui postquam Suevorum, quorum nomen satis late patet, magnam partem suo regno adjunxerat, Sueborum rex dictus est; variant igitur scriptores, velut Vell. II, 108 jure dixit Marcomanorum gentem duce Maroboduo excitam esse suis sedibus, neque minus recte Tac. Ann. II, 26 scripsit: *Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum;* idem II, 62: *Catualda . . . valida manu fines Marcomanorum ingreditur . . . . irrumpit regiam castellumque juxta situm; veteres illic Suevorum praedae.* Itaque licuit Augusto Suevos, qui Marcomanorum regi parebant, gemino nomine insignire; nam quominus *Marcomanorum Sueborumque* scribatur loci angustiae prohibent.

Maroboduum autem, antequam rerum potitus est, Romae commoratum et Augusti amicitia gratiaque usum esse testificatur Strabo VII. 290: *ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον· νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ, ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε.* Sane Strabo dicit ex privato homine regem factum rerumque potitum esse, sed vel sic licuit Augusto Maroboduum in numerum regum referre, qui supplices ad se confugerint: ac nobili illum loco oriundum fuisse consentaneum est, firmaturque Velleii auctoritate II, 108, 1. In Graeco autem exemplo scribendum: *Μαρκομά*[*νων Μαροβόδουος*], nam interpretem uno nomine defunctum esse evincit artum interstitium. *Marcomanorum* nomen et simplici et geminata littera scribi solet, ac Statius Silv. III, 3, 170 corripuit: *quae modo Marcomanos post horrida bella, vagosque Sauromatas Latio non est dignata triumpho.*

P. VI, 3—6. In graeco exemplo pro *βασιλεὺς* legitur *ΡΑΣ//ΕΙΣ,* deinde scripsi *Φρα*[*άτης*] *υἱὸ*[*ς Ὠρώδ*]*ους,* [*υἱοὺς υἱ*]*ωνούς τε,* ubi in lapide est *ΦΡΑ/////ΥΙΟ////ΟΥΣ////Ω | ΝΟΥΣΤΕ.* Mommsenus edidit: *Φρα*[*άτης*] *υἱὸς Ὠρώδου τ*]*ους* [*υἱοὺς αὐτοῦ ἐκγό*]*νους τε.* Scripsi *Ὠρώδους,* quamquam infra VI, 11 legitur *Ὠρώδου,* quae usitata est secundi casus forma, velut *Ὀρώδου* extat apud Appian. Syr. 51, Dion. C. XL, 28, XLI, 55, XLVIII, 24, sed haec inconstantia similibus exemplis defenditur a suspicione, quemadmodum *Ἀστυάγεω* et *Ἀστυάγεος* vel *Ἀστυάγους* dicitur. Prima autem littera nominis interpreti est *Ω*, alias per *Ο* scribi solet.

P. VI, 7 scripsi: *cum populo Roman*[*o nullum fuerat*] *legationum et amicitiae commercium*, Mommsenus *nullum intercedebat* dedit. Ceterum

ROMAN Perr., ROMA Mordt., ROMANO Luc. Chish. Augustus praeter alias gentes Britannos dicere videtur, de quibus Strabo IV, 200: νυνὶ μέντοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπετωλίῳ, καὶ οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον. Expeditionem in Britanniam Caesaris exemplo excitatus paravit Augustus a. 720 (Dio C. XLIX, 38), et rursus a. 727 et 728 (Dio C. LIII, 22 et 25)[1], sed aliis negotiis praepeditus consilia haec abjecit; neque Britanni periculo imminente perterriti sunt, ut sua sponte imperio populi Romani se subjicerent. Nihilominus poetae ejus saeculi magnificis praeconiis ornant haec Augusti tentamina, qui cur noluerit postero tempore Britannos ad obsequium redigere satis dilucide indicat Strabo (II, 115, IV, 200); immunis igitur imperii Romani fuit haec insula, sed legationum et amicitiae commercium inter Britannos et Romanos postea inchoatum testatur Strabo, atque ipse Augustus supra (VI, 2) dixit Britannorum reges ad se supplices confugisse. Sed quod Strabo de donis narrat, quae Britanni in Capitolio dedicaverint, ad Tiberii imperium videtur referendum esse; nam geographus, cum vocula *νυνὶ* utitur, notat ipsum illud tempus, quo amplum opus absolvit: atque Britannorum obsequium erga Romanos illo tempore illustrat Tacit. Ann. II, 24, narrans a. 769 milites Romanos naufragio ejectos vel venum datos in Britanniam a regulis remissos esse.

Cap. XXXIII.

P. VI, 17 *postes aedium mearum v[estiti sunt]* malui scribere quam *velati* vel quod Mommseno placuit *vincti*: puro enim et nihil supra modum se extollente sermone utitur Augustus[2]. Laureis ornatos esse aedium postes etiam Dionis verba LIII, 16 videntur significare: τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, sed Ovidianus versus Fast. IV, 952: *State Palatinae laurus praetextaque quercu Stet domus* videtur indicare, postea duas laurus aedibus adsitas esse, quemadmodum Virgilius Aen. II, 512 finxit in Priami aedibus laurum stare:

Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra complexa penates.

Atque in nummis Augusti passim laurus potius binae quam laureae com-

---

1) Redux Augustus potuit sane jactare, totum terrarum orbem tam bello quam amicitiis imperio Romano esse subditum, ut est in Livianis reliquiis apud Apponium monachum, de quibus dixit Schneidewinus in Actis philol. Cassell. p. 40 seqq.

2) Quintilianum VIII, 6, 32 ubi de fictis vocabulis disserit, miror ejusdem plane generis esse censentem *sullaturit, proscripturit* et *laureati postes* pro *lauro coronati;* idem addit hoc usu receptum esse, non illa; atque *laureati fasces, laureatae litterae, laureata imago* leguntur apud optimos latini sermonis auctores.

parent, ut videtur, (cf. thesauri Morelliani Aug. tab. X, 20 et 25.) — De civica corona Mommsenus argutius quam verius disputavit, arbitratus Augusto datam esse, quod ipse professus sit (cf. I, 14) *se victorem omnibus superstitibus (deprecantibus) civibus pepercisse.* Sane civica corona, ut Gellius V, 6, 11 dicit, appellatur, *quam civis civi, a quo in proelio servatus est, testem vitae salutisque perceptae dat* [1]); verum de hoc militari decore non agitur, sed postea hic honos etiam civibus de republica bene meritis tributus est, itaque idem Gellius ib. 15: *hac civica corona L. Gellius vir censorius in senatu Ciceronem consulem donari a re publica censuit, quod ejus opera esset atrocissima illa Catilinae conjuratio detecta vindicataque* [2]). Ita etiam Augusto compositis bellis civilibus ob rem publicam civesque servatos data est civica corona.

Denique VI, 20 [*pietatis ergo*] quam *causa* scribere malui, secundum majorum morem, quamquam nescimus, utrum in ipso illo clypeo, quem S. P. Q. R. Augusto dedit, scriptum fuerit. Ita Festus p. 82: *quum dicimus de aliquo, statua donatus est honoris virtutisque ergo i. e. honoris virtutisque causa;* Sisenna apud Nonium v. *ergo: milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donati*, atque ad eum modum Cicero de opt. gen. dic. 7: *virtutis ergo benevolentiaeque*, Livius XXV, 7 SC verba repetens: *neu dono militari virtutis ergo donaretur*, idem XXXI, 15: *Rhodiorum populus corona aurea virtutis ergo donatus*, quamquam in titulo apud Orellium I, 635 est *honoris virtutisque caussa.* Titulus C. I. L. I, 587 *benefici ergo*, 588 *salutis ergo*, sed ib. 589 est: *benivolentiae beneficique caussa*, ut opinor propterea, quod continuo subjicitur *erga Lucios.* Restituenda haec vocula Livio I, 32, 11: *quarum rerum, litium, causarum* (*ergo*) *condixit pater patratus populi Romani Quiritium*, ubi Madvicus recte negavit genitivos solos rationem habere, sed quod oratione trimembri, quae hic solenni more adhibetur, sublata scripsit *rerum litium causa* minus probandum, intercidit potius *ergo* vel quod explicandi gratia suprascriptum fuit *causa;* nam similiter Livii librarii etiam aliis locis peccaverunt.

Alius ut videtur clupeus sive imago Augusti, quam commemorat Hadrianus apud Charis. 222: *a vobis P. C. peto et inpetratum valdissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius clupeum sicut Augusto ponatis*, hic enim clupeus videtur defuncto demum Augusto in curia positus esse [3]), fecitque ejus rei mentionem Hadrianus in oratione (quam Charisius

---

1) Apud Plinium H. N. XVI, 12 leges, quibus hic honor astrictus fuit, enarrantem, scribendum: *civem servare, hostem occidere, u t n e eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die, ut servatus fateatur, ~~(alias testes nihil prosunt)~~, ut civis fuerit,* vulgo enim legitur *utque.*

2) Cicero in Pison. 3 testatur Gellium censuisse, civicam coronam sibi a re publica deberi; cf. etiam pro Planc. 30.

3) Etiam imago Augusti in bibliotheca Palatina (Tac. Ann. II, 37) post mortem demum, opinor, posita est, ut inter litterarum quoque auctores suum obtineret locum.

dicit) sive epistola de Trajani honoribus, quemadmodum postea Hadrianum clypei honore dignatus est Antoninus Pius (Capitolin. Ant. 5). Sed *argenteus* quod dicitur clypeus, a librario peccatum credo, restituoque *aureum*: nam imperatorum clupei aurei fuerunt, vid. Suet. Calig. 16, Trebell. Claud. Goth. 3, aliorum argentei; cum Germanico aureum clupeum decrevisset senatus, temperavit Tiberius adseverans se solitum paremque ceteris dicaturum, Tac. Ann. II, 83, quemadmodum Druso quoque argenteus clupeus positus est (vid. tit. Orelli III, 5381.)

Graecus interpres latina verba curiose neque ineleganter expressit, velut patrii sermonis proprietate servata scripsit *κατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολιτῶν*, ubi in indice est *per consensum universorum*; v. 17 ubi *civica corona* commemoratur, non verbum verbo reddidit, sed legentium commodis inserviens periphrasi usus rem explanavit. Cum in latino exemplo sit *rem publicam . . . transtuli*, noluit *τὰ κοινὰ* sive *δημόσια πράγματα* iterare, cum vel sic perspicua sit oratio. Neque improbandum extremo loco *τῶν συναρξάντων μοι*, quamquam poterat secundum Atticorum consuetudinem *τῶν ἀεὶ συναρχόντων μοι* scribere. Quo minus ferendum Mommseni supplementum [*πολέ*]*μους ἐνφυ*[*λί*]*ους ζβέσ*[*ας μετ' αὐτ*]*οὺς*, nam quod infertur *μετ' αὐτοὺς* prorsus importunum. In lapide legitur *Ε/ΔΩΜΗΙΜ///ΜΟΥΣΕΝΦΥΜΟΥΣ ΖΒΕΣ//////ΟΥΣ*, itaque scripsi *ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑ*[*β*]*δόμῃ μ*[*ου ε*]*ὐθὺς ἐνφυλίους ζβέσ*[*ας πολέμ*]*ους* [1]). De suo addidit interpres *μου*, sed Augustus quoque III, 22 scripsit *in consulatu meo quarto* (*ἐν ὑπατείᾳ τετάρτῃ ἐμῇ*). Deinde rectissime lapis *κυριήαν* sive *κυριείαν* malis, quae legitima est forma, in cujus locum Mommsenus cum Franzio non debebat *κυρείαν* substituere. Vox *κυριεία*, quae post Alexandri Magni demum saeculum videtur usu recepta esse, in codicibus *κυρεία* vel *κυρία* scribi solet; *κυρεία* rusticum est, quemadmodum citeriores vulgo *ὑγείαν* non *ὑγίειαν* dicebant [2]); plebejam formam satis tuetur Manetho IV, 606: *ἑπτάκι κυρείαις ἢ πεντάκι καινισθέντες*, sed haud dubie saepius de loco dejecit quattuor syllabarum vocabulum. Denique scripsi [*εἶτ'*] *ἀξιώμ*[*α*]*τι πάντων διήνε*[*γ*]*κα*, non *μεθ' ἃ*, in lapide esse dicitur *//ΑΞΙΩΝ/Τ/* et *Δ/ΗΝΕ/ΚΑΙ*.

---

1) Franz dedit *μ*[*ου τ*]*οὺς ἐνφυ*[*λί*]*ους* [*σ*]*βέσ*[*ας πολέμ*]*ους*, Egger *πολέμους ἐνφυλίους σβέσας εὐθύς*.

2) Nescio quo errore nostri grammatici codicum auctoritati addicti in probis scriptoribus *θυΐα* dent; veteres dixerunt *θύεια*, Attici *θυεία*, citerioribus demum placuit bisyllabum *θυία*, quo utitur Andromachus.

Appendix.

Qui hoc additamentum attexuit, impensas, quas Augustus in rem publicam fecit, denuo enumerat, secutus ordinem, quo in indice recensentur. Itaque primum (cap. I) summam pecuniae exposuit, quam princeps in aerarium detulit vel plebi vel dimissis militibus dedit, quam summam denarium sexiens milliens fuisse dicit. Quod si comprehendit duodecim largitiones, quas Augustus III, 7—42 enumeravit, possis hac ratione uti ad pecuniae dimissis veteranis a. 747—52 datae summam investigandam, quam princeps non indicavit; atque calculos singillatim subduxit Mommsenus, libere quidem professus, satis fallacem esse hanc computationem. Equidem credo hominem religiosum ex iis, quae Augustus de his liberalitatibus memoriae prodidit, summam conficere non ausurum esse: sed ut largiar appendicis scriptorem his difficultatibus non deterritum esse, rationes, quas homo circum summas haudquaquam trepidans subduxit, parvi sunt momenti. Verum fortasse non ipse computando summam confecit, sed numeros traditos aliunde descripsit: quamquam tunc quoque exigua est utilitas: nam cum Augustus etiam alias fecerit largitiones, quas in indice praetermisit, potuit earum rationem habere, quisquis tradidit illam summam. Secundo loco (cap. II et III) appendicis scriptor recenset opera, quae vel nova fecit vel refecit Augustus, indicem fere secutus; denique (cap. IV) summatim impensas in ludos factas memorat, simul vero significat principem plurima beneficia contulisse in municipia et colonias Italicas, in civitates provinciales, denique privatim in amicos et senatores: sed has liberalitates Augustus in indice omnino non attigit.

Cap. II.

P. VI, 35 *theatrum Marcelli* [*ad aedem Apollinis*] scripsi, ut est IV, 22, quo supplemento admisso commode hiantia coeunt, interpres autem additamentum non necessarium reliquit, quemadmodum proxima quoque *trans Tiberim* praetermisit. Omnino interpres in hac parte plus sibi licere ratus ordinem recensus pro arbitrio immutavit, sed idem novis operibus haec addit: *στοαὶ ἐν Παλ*[*ατίῳ*], *στοὰ ἐν ἱπποδρόμῳ Φλαμινίῳ*, quae additamenta cum latinum exemplum quamvis passim hiatibus deformatum non recipiat, existimo negligentia scribae magis, quam opificis, qui suam diligentiam satis probavit, omissa esse. Neque enim assentior Mommseno suspicanti, ipsum breviarii auctorem neglexisse, et graecum interpretem commentario relecto, cum nollet desiderari porticuum mentionem, extremo loco adjecisse. Contra

graecus interpres *pulvinar ad circum* omisit; supra IV, 4 *ναὸν πρὸς τῷ [μεγάλῳ ἱπποδρόμ]ῳ* vertit, sed II, 19 verba *apud omnia pulvinaria* neglexit casu magis, quam consilio, nam glossographi recte interpretantur *καθίδρυμα, στρωμνὴ θεοῦ.* Ceterum fallitur Friedländer (Bekker A. R. IV, 497), cum bina in Circo pulvinaria distinguenda censet, alterum deorum (Festus p. 364), alterum principum pulvinar sive cubiculum. At unum tantum fuit in Circo pulvinar idque a cubiculo omnino dirimendum. Princeps, si in pulvinari ludos spectabat, in omnium oculis versabatur, in cubiculo delitescebat [1]). Julio Caesari cum in divinarum humanarumque rerum confusione praeter alios honores tanquam praesenti deo pulvinar tribuissent [2]), non est mirum, si ille circenses ludos ex deorum pulvinari spectavit; novum hoc exemplum secuti sunt alii principes, velut ipse Augustus (Suet. Aug. 45), verum cum hic locus in prima fronte spectaculorum nimis esset expositus, cumque praesidendi laborem alii principes detrectarent, principi peculiaris suggestus sive cubiculum exstructum est [3]). Trajanus, cum circum collapsum reficeret, hoc cubiculum non restituit, ut jam per omnia una esset facies et princeps in populo sedens spectaret [4]).

Cap. IV.

Scabritiem orationis, qua laborat Mommseni restitutio: *inpensar[um in spect]acu[la circensia] . . . dona . . . in[nu]mer[abilia]*, abstersi scribendo: *impensae [factae in spect]acu[la ludosque]*. Sane R tuentur Luc. Mordt. Perr. (nam Chish., qui IMPENSIS. R exhibet, fide indignus), sed E et R etiam alias confusa, velut supra I, 13 fluctuat lectio inter RMA et ELLA. Praeterea scripsi *[et certamina] gladiatorum at[hletarumque et in venationes et in naum]ac[hiam]*, Mommsenus dedit *[et munera] gladiatorum at[hletasque]*, at latine *munus gladiatorium* non *gladiatorum* dici solet [5]). Scriptor etiam hic indicis verba (IV, 31. 32) noluit repetere [6]). — P. VI, 40, ubi apud Perrotum est \DC/VA//////PI, Mordt. DO, scripsi *[ite]m dona [munici]pi[s*

---

1) Augusti epist. ap. Suet. in Gaii vita 4, Plin. Paneg. 51.

2) Cic. Phil. II, 43, Suet. Caes. 76.

3) Conf. Suet. Ner. 12, quae ad amphitheatrum referenda sunt.

4) Fortasse in cubiculi locum tribunal substitutum est, ut in theatro (Suet. Claud. 21), in quo etiam magistratuum fuit tribunal (Suet. Aug. 44). Suggestum in theatri orchestra praeter alios honores primus recepit Caesar (Suet. Caes. 76), sed alii *aliis* locis pro lubidine sedebant, Nero quaedam ex proscenii fastigio spectavit (Suet. Ner. 11.)

5) Apud Plinium H. N. XXXV, 52 libri probi aliquot *munus gladiatorum* exhibent, sed manifesto errore, si quis accuratius illum locum examinaverit.

6) *Munera* ut Frontini verbis (de aquis praef.) utar, cultiores appellabant, vulgus *gladiatores dare* dicere solebat, cf. Terent. Hec. prol. II, 32. Apud Frontinum *munera* quae dicantur satis ambiguum.

colonis in Italia], ac jam hiantia coeunt, Mommsenus dedit .... *dona* : .. [*op*]*pi*[*dis colonis in Italia*]. — P. VI, 41 *incendiove* propter Perroti auctoritatem praetuli, Luc. Chish. Mordt. QV vel QVE, quod metaphrastas *καὶ* commendat.

In Graeco exemplo scripsi [*Δαπ*]*ίνα*[*ι*] *εἰς* ... *δωρεαὶ* [*τε*] *ἀποικίαις* ... *ἄπειρον τὸ πλῆθος*, nolui enim stribliginem removere, quamquam suspicor novissima perperam delineata esse, litteris I et N permutatis, et interpretem scripsisse: *ἄπειροι τὸ πλῆθος*. In lapide est ///*ΑΝΑ*//*ΕΙΣ* et *ΔΩΡΕΑΙΙ*// *ΑΠΟΙΚΙΑΙΣ* (Mord. *ΔΩΡΕΑ*///*ΑΠΟΙΚΙΑΣ*), unde Mommsenus *δωρεαὶ* [*ταῖς*] *ἀποικίαις* dedit.

Addenda.

P. 9 not. 3 adde titulum ap. Kellermann Vigil. n. 12: *qui frument. publ. incisi sunt.*

P. 10. Non idem scriba, qui titulum indici praemisit, etiam appendicem adjecit, vide quae infra p. 84 monui.

P. 11. Particulam *et* in capite VIII (II, 2) non suo loco legi, adnotavi ad illum locum. De turbis cap. XV dictum est suo loco. Aliud peccatum in appendicis cap. II admissum attigi p. 121.

P. 46. Tiberium die 10 m. Martii pontificatum maximum cepisse testatur titulus Orell. 686.

P. 47. Dandi casus *nemini* legitur in titulo C. I. L. I, 1010.

P. 49. Perroti exemplum II, 43 NΛV (non NAV) exhibet.

P. 51 not. Miratus sum, Halmium virum eruditum *Ulixen* in Quintiliano edidisse, nam Propertii editorum superstitionem mirari jamdudum desii, qui *Ulixen* et *Achillen* tanquam singularis elegantiae documenta amplectuntur, neque desunt, qui aliis in scriptoribus spurias has formas tuentur, velut Hauptius in Tacito *Ulixen* tulit. Nihil me movet librorum auctoritas, si quando ejusmodi formas exhibent; quibus quae fides habenda sit docet Virgilianus versus Aen. XI, 243:

Vidimus o cives Diomede Argivaque castra.

ubi non solum pars nostrorum librorum *Diomeden* prae se fert, sed etiam antiqua exempla eam scripturam tuita esse testantur grammatici. Prudenter monet Servius aut latino more *Diomedem* aut Graeco *Diomede* legendum esse, „*si autem Diomeden dixerimus*, *nec latinum est*, *nec Graecum*, *nec versus consistit*, *nunquam enim ecthlipsis fit per N litteram*", nisi quod minus recte graecis plane abiudicat *Διομήδην*, quam formam non solum libri tuentur, velut ap. Andoc. in Alcib. 29, Aristot. epigr. 14, 1, alios, sed

etiam in marmore Farnesiano (C. In. Gr. III. 5984 C, v. 6), in quo Herculis res gestae recensentur, extat, ut etiam Virgilius ea forma uti potuerit, si numeri lex admisisset; quamquam exemplum apud Terent. Maur. 2095 seq. non satis tutum est. Neque vero adducor, ut credam Macrob. Sat. V, 17, 19 de hoc Virgiliano versu disputantem eam formam latinis hominibus vindicavisse: probat ille scripturam *Diomede*, „*ut talium nominum accusativus Graecus est in E desinens: nam si quis eum putat Latine dixisse Diomeden, sanitas metri in versu desiderabitur:* qui locus mihi videtur labem contraxisse; triplex erat scripturae varietas, *Diomede, Diomedem, Diomeden*, Macrobium de tribus his disputavisse consentaneum est: videtur igitur legendum: *nam si quis eum putat Latine dixisse* (*Diomedem*), ... (*sin*) *Diomeden, sanitas metri in versu desiderabitur.* Latinum accusativum, quem Virgilius videtur hoc loco praetulisse, cur poetae abjudicaverit, ignoro. Superstitiosos quod dixi criticos Propertii carminibus operam dantes, ne temere criminatus esse videar, ex multis pauca delibabo: securi propagant *Polydamas,* quem poeta *Pulydamantem* dixit secundum Graecos, quibus *Πουλυδάμας* est; item *Phillyriden* qui *Philyrides* audit; aequo animo ferunt *Philetaeus* ubi *Phileteus* scribendum erat; non est offensioni neque *Titiens* neque *tubicen Curetis*, quamquam *Tities* et *Curitis* sive *Quiritis* scribendum esse jam alias monui; fidem autem omnino excedit pertinacia, qua *Caeninum Acronta* tuentur, nescii ut videtur in elogio (C. I. L. p. 283), quod in foro Augusti publice videtur propositum fuisse, legi, *Acrone rege Caeninensium interfecto,* eademque declinatione nominis usos esse Verrium Flaccum, Valerium Maximum, Plutarchum, Florum, Ampelium, Aurelium Victorem, Servium. Frustra quoque Hertzbergius *Leucothoen* defendere studet, diversum nominis veriloquium commentus; virum doctum falsum esse ostendunt *Λευκαθιών,* qui fuit Lampsacenorum mensis, *Λευκάθεα* Teiorum dies festus, *Λευκαθέα* ipsa dea a Thessalis dicta, quemadmodum alio loco monui. Sed qui religiosissime manifestos librariorum errores propagant, iidem insigni audacia alia novant, velut *Cytaines carmina,* quod Propertium non scripsisse certum est, quid dederit incertum, fortasse *Libystinis carminibus.* Neque Scaligero erat optemperandum *Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis,* ubi *Craugidos* ex librorum vestigiis revocandum esse docui. Gravissimi autem erroris reus, qui nuper cum numeri ruina scripsit: *atque armillatos colla M o l o s a canes,* qui nescius fuit Graece *Μολοσσοὺς* vel *Μολοττοὺς* dici.

P. 83. Artificum nobilium monumenta passim invitis civitatibus abstulisse etiam cum pretium solverent imperatores, ostendit Tiberii exemplum, qui Parios *τὸ τῆς Ἑστίας ἄγαλμα πωλῆσαί οἱ ἠνάγκασε*, ut Dio C. LV, 9 asserit.

P. 97 attigi Pedonis carmen de Germanici navigatione. Albinovanus, quae de occidentali Oceano Graeci fabulati sunt, transtulit ad maris septentrionalis pericula eaque exaggeravit, quod poetae facile condonabimus; nam si fides Appiano B. C. IV, 8, in prooemio tabularum, quibus triumviri ini-

micos suos proscripserunt, Caesarem hoc praeconio ornaverunt: *καὶ πρῶτον ἀνδρῶν ὑπὲρ τοὺς Ἡρακλείους ὅρους ἀπλώτου θαλάσσης ἀποπειράσαντα καὶ Ῥωμαίοις γῆν ἄγνωστον εὑρόντα.*

P. 99 not. 2 dixi de usu indicativi et conjunctivi in honorariis titulis. Indicativum tuetur nummus Augusti apud Cohen I, 61 *quod viae munitae sunt;* aliud indicativi exemplum praebet titulus satis antiquus nuper in fano Dianae Nemorensi repertus, quem Henzenus edidit (Herm. VI, 7), quo Mysi legatum Romanum ornaverunt, *quod eos bello Mithrida*[*ti*]*s conservavit*, adjuncta graeca interpretatione, quam ab homine Latino Graeci sermonis parum perito factam esse apparet; nam cum secundum prisci sermonis latini consuetudinem scriptum esset *Mysei Epict*[*ete*]*s*, ille barbarismum *ΜΥΣΟΙ ΕΠΙΚΤΗΤΕΙΣ* admisit, *conservavit* interpretatus est *διετήρησεν*, quod a proprietate Graecae linguae abhorret, *ἀνδρήας ἕνεκεν* scripsit, immemor *virtutis ergo* esse *ἀρετῆς ἕνεκεν*, quemadmodum in titulo Romano (C. I. L. 589) circa a. 673 inciso olim legebatur, quamquam qui hunc titulum ex graeco transtulit alia minus recte administravit; sed multo majorem infantiam prodit alius titulus ib. 587, ubi graeca *ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐνοίας τῆς εἰς ἑαυτὸν* puerilem in modum *benefici ergo quae sibi benigne fecit* redduntur.

P. 106 not. 1. Ex Velleji verbis II, 97 minime conficiendum, quintam tantum legionem cladem accepisse, sed quod Mommsenus p. 46, n. 1 suspicatur, praeterea primam legionem Lollianae ignominiae participem signa amisisse, incertam conjecturam ex Tac. Ann. I, 42 fecit.

Index verborum.

Index rerum,

quae in commentario explanantur.

Index locorum,

qui in commentario emendantur vel explicantur.



